IURIS ECCLESIASTICI PUBLICI

INSTITUTIONES



IURIS ECCLESIASTICI PUBLICI

INSTITUTIONES

AUCTORE

CAMILLO TARQUINI E SOCIETATE IESU

SANCTAE ECCLESIAE ROM. CARDINALI

ACCEDIT DISSERTATIO EIUSDEM


DE REGIO PLACET

HABITA IN ACADEMIA RELIGIONIS CATHOLICAE

DIE 2 SEPTEMBRIS 1852

NUNC PRIMUM LATINE REDDITA

EDITIO QUARTA



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXV.

Hunc librum denuo excudere interdictum est editore invito.

CAMILLVS TARQVINIVS

E SOCIETATE IESV

CARDINALIS TITVLO NICOLAO AD CARCEREM TVLLIANVM

Praestans ingenium ad ius pontificium contulit: inque eo summus evasit. Iuris sacri institutiones diu docuit in Collegio Romano, easque in vulgus edidit. De potestate, quam sibi in Pontificis Maximi decreta vindicant reges, deque initis utrimque foederibus egregie disseruit; meritisque laudibus ornatus est a Pio IX P. M. qui Camilli Tarquinii ingenio multum tribuit, eumque in Patrum Cardinalium senatum cooptavit, singulari bonorum omnium gratulatione et laetitia. Sed hanc brevi intercepit luctus: altero enim mense ab inita dignitate excessit e vita XV Kal. Martias a. MDCCCLXXIV, cum ageret annum quartum et sexagesimum.

Natus erat Martae, ad lacum Volsinii: domus eius cum primis honesta et locuples; materno genere attingebat Benedictum XIV. In seminario Montis Flasconis adolescentiam exegit, ingenuis artibus institutus: hinc Romam demigravit, et iuri civili et sacro operam dedit: in quo cum aequalibus antecelleret, et ad amplissimas dignitates summorum virorum, inter quos Cosmam Corsium Cardinalem honoris causa nomino, favore ferretur, humanis rebus nuncium remisit, inque Societatis Iesu, quam eximie dilexit, sinum confugit VI Kal. Septembres a. MDCCCXXXVII.

Statura procerus, ingenii vi acerrima, laboris patiens supra quam cuique credibile est: solidos enim

dies scribendo et commentando ducebat: quare tantum auxit doctrinae, quantum studii.

Egregium sibi nomen condidit Camillus in romanis coetibus, ad quos sacrarum causarum cognitiones deferuntur: graves enim controversias ea sapientia et doctrina diremit, ut Patribus Cardinalibus, et Pontifici Maximo Camilli Tarquinii responsiones eximie probarentur.

Hetruscorum veterum linguam coluit: sed in ea fuit sententia, hetrusci sermonis primordia ad hebraeos et phoenicios referenda.

Dicendi etiam gravitate et copia valuit: eumque Scripturae Sanctae historias enarrantem in aede Domini Nostri Iesu confertissima multitudo demirata est.

Pietate, Deum orandi studio, legum Societatis Iesu custodia, honorum contemptu omnibus exemplo fuit, omnesque sibi animi demissione et humanitate devinxit: qui tantae virtutis desiderio indoluerunt.

VIVE . IN . DEO
VIR . CLARISSIME . ET . OPTIME
VIVE . MEMOR
SOCIETATIS . IESV
QVAE . TE . ALVIT . EDVXIT
TEQVE . GAVDET . ALVMNO
VIVE . MEMOR
COLLEGII . ROMANI
IN . QVO . DOCTRINAE . TVAE . ET . SAPIENTIAE
MANENT . VESTIGIA

Romae III. idus Novembres A. MDCCCLXXIV.

ANTONIVS ANGELINIVS
e Societate Iesu.

PROOEMIUM AUCTORIS

Communis inter viros in hisce studiis peritos opinio est, librum, in quo doctrina iuris publici ecclesiastici apte definita appareat, et ad scientiae normam severe diligenterque exacta sit, adhuc desiderari. Licet enim multa ac praeclara ea de re scripta prodierint, nihilominus nonnulla incommode facta, eaque minime levia in illis perspecta sunt. Atque illud in primis, quod materia iuris ecclesiastici publici ab ea, quae iuris ecclesiastici privati propria est, haud satis discreta saepenumero videtur, unde caligo in utriusque iuris notione suboritur: alterum autem non minus grave, quod ratio atque methodus eam tradendi non ex ipsa deducta sit rei natura, generalibus scilicet cum ea connexis principiis primum propositis, atque inde particularibus derivatis conclusionibus, quae totam doctrinam quodam veluti germine in illis inclusam per varios gradus evolvant, sed ex proprio petatur scriptorum ingenio, haud sane mediocri scientiae ac veritatis detrimento. Nam quidam novitatis magis quam veritatis studiosi, arbitrario sub respectu rem considerant, eoque materiam totam trahunt, scientiam videlicet, non prouti est, exponentes, sed placitis suis conformantes; quod duplici

cum incommodo fieri necesse est. Primo *disciplinae:* qui enim hisce praeceptoribus utuntur, diverso ordine, diversisque scientiae fundamentis, quodque inde consequitur, diversis ac plane singularibus sententiis veluti in avia seducti, vana primum arrogantia occupari solent, tum, in aliorum scripta cum inciderint, mira implicari confusione, et ex confusione iis ambagibus atque erroribus, qui dimanare ex illa consueverunt. Deinde *scientiae ipsius:* etenim arbitrarii illi respectus maiorem quidem vel minorem scientiae partem, plus minusve ut sunt ingeniosi, vere apteque possunt exponere, sed totam complecti et explicare ea ipsa ratione, quod arbitrarii sunt, neque ex rei natura proficiscuntur, vix et ne vix quidem possunt; unde fit, ut amore systematis scientiam ipsam adulterare necesse sit, fucatosque rerum nexus proponere, et si quae veritates systemati resistunt, eas vel foede mutilare, vel detorsione aliqua corrumpere.

Ast alii in aliam syrtem impingunt, iique sunt, qui suas de iure publico ecclesiastico institutiones practicis quaestionibus, quae inter Ecclesiam et Societates civiles agitari solent, totas confarcinant; quorum methodus quo magis minus peritis utilis videri potest, eo magis inepta est, atque a recta disciplina aliena. Neque enim quaestionibus practicis, sed principiis scientia constat, quae nisi praeluceant, ipsa quaestionum solutio incerta est, crebrisque erroribus obnoxia; praeterquamquod, cum eiusmodi quaestionum nova in dies series excitari possit, nemo plane non videt, institutionibus hac methodo conscriptis nullum unquam terminum fore. Denique longe gravius est aliorum vitium, qui generalia principia non quidem negligunt, sed falsa constituunt, quorum numerus (inter Catholicos dico) maior

sane est, quam quisquam arbitretur. Sive enim ex practicis quibusdam abusibus, qui temporum iniuria pluribus in locis in morem ferme abiere, sive ex Febroniana doctrina, ingenti librorum numero propagata, eiusmodi virus in plurium etiam Catholicorum animos nonnihil irrepsit, non eorum tantum (quemadmodum vulgaris querela est), qui ultra montes sunt, verum etiam eorum, qui citra montes, quorum sane doctrina neque perpetuo, neque constanter ea peste immunis dici potest. Quae cum ita se habeant, atque iis, ut dixi, qui in hisce studiis periti sunt, plane sint perspecta, inde profecto natum est, quod nuperrima insignium virorum sententia fuerit, ad maiorum nostrorum consuetudinem, qui ius ecclesiasticum publicum a privato non secernebant, revertendum esse; divisionem vero ipsam iuris ecclesiastici in publicum et privatum veluti logice falsam esse abiiciendam. Quos ego viros licet apprime colam, ab eorum tamen sententia longissime absum, quippe qui non modo iniuria latam, quod mihi nunc demonstrandum non est, cum facto ipso demonstrandum hoc libro sit, sed rei catholicae valde noxiam et periculosam existimem.

Etenim quod maiores nostri peculiari disputatione ius Ecclesiae publicum complexi non fuerint, id nemini, qui eorum aetatem moresque noverit, mirum videri debet. Ad pietatem enim pertinere illi arbitrabantur, Ecclesiae potestatem revereri potius ac suspicere, quam curiosius investigare: si quis vero conflictus inter imperii ac sacerdotii potestatem coortus esset, omnem dubii caliginem unius formulae luce, quae infirmos recentiorum obtutus haud leviter perstringit, consueverunt removere: « *Quidquid rationem habet peccati, id Ecclesiae foro recte subiicitur.* » Sed posteaquam Pro-

testantium seditio in Ecclesia commota est, ordinataque methodo eiusdem potestatem oppugnare ii coeperunt, primi scilicet omnium ius publicum ecclesiasticum, veluti novam quandam scientiam proponentes, fallacibus quibusdam principiis magna cum arte initio constitutis, logicisque exinde conclusionibus accurate derivatis; posteaquam Protestantium conatus ex ipso Catholicorum gremio ingenti studio Regalistae exceperunt, eorumque cura nefaria illorum systemata, plurimis ubique editis libris, popularia ferme facta sunt, ex eo iam tempore neque licuit, neque profecto licet Catholicis hanc spartam deserere, nisi forte Ecclesiae, legitimaeque eius potestatis proditores esse velint. Etenim, quemadmodum hostibus instructa acie progredientibus sparsa confusaque multitudine frustra resistitur, aliamque ordinatam aciem, exercitumque alium opponere iisdem necesse est: ita profecto falsum systema nonnisi vero instituto systemate dissolvi potest, quo nempe et verae notiones et rectus earum ordo restituatur; itaque facile solideque contrariae adversariorum artes ac fallaciae detegantur ac dissipentur.

Iam vero quid in hisce meis institutionibus ipse curaverim, breviter aperiam. Non laudis ingenii, sed veritatis cupidus, ad suum naturalemque ordinem totam iuris publici ecclesiastici disputationem revocandam esse censui, eiusdem nimirum et qua *ius* est, et qua *publicum*, et qua *ecclesiasticum*, constituta natura, ac fine proposito: ex eoque fine natura ipsa ecclesiasticae societatis et qua *perfecta*, et qua *suprema* est derivata; unde omnis potestas eius ordinaria sive in suos sive in exteros. Eadem ferme methodo extraordinariam exposui, quae ex concordatis dimanat. Natura quippe concordatorum ex natura obiecti, circa quod

versantur, recognita, facile fuit definire, quae circa eadem utriusque societatis (ecclesiasticae, inquam, et civilis) pro sua cuique natura partes ac iura sint.

Ad formam autem quod spectat, brevitas mihi maxime curanda fuit. Id enim imperabat eorum conditio, pro quibus praecipue scripsi, qui scilicet eodem tempore in ius ecclesiasticum studia conferunt, quo tempore gravissimis theologiae studiis distinentur. Nihilominus ne perspicuitati, aut integritati, aut efficaciae disputationis necessaria haec brevitas quidquam detraheret, arte atque industria cavi. Quapropter in probationibus afferendis, et obiectionibus diluendis syllogistica oratione usus sum, quod genus est orationis cum omnium brevissimum, tum etiam omnium maxime perspicuum et efficax. Defigit enim audientium mentes in unica illa re, in qua tota est demonstratio, neque sinit eorum attentionem in plura obiecta pervagari. Itaque non raro animadverti, longas orationes, licet ad rem nitidius declarandam adhiberi soleant, contrarium effectum saepenumero parere, oneratis scilicet et confusis multitudine rerum ac verborum discipulorum mentibus, quae uno forte syllogismo mirifice edoctae et illustratae fuerant: praesertim cum in hac quoque re divina illa valeat sententia: *In multiloquio non deerit peccatum:* quo enim magis loqueris, eo facilius verba excidunt minus propria, quae, cum rerum notionem adulterent, obscuritatem ingerant necesse est. Deinde a probationum superflua multitudine abstinui, eam tantum studiose seligens, quae tangeret rei naturam, rerumque nexum et totam theoriam revelaret. Inde alia mihi ars, ut ordinem logicum diligenter servarem, ita ut ordo ipse saepe pro demonstratione esset, ex quo nimirum manifestum fieret, insequentes propositiones vera esse praeceden-

tium corollaria. Quod vero attinet ad practicas quaestiones, in iis immorari neque necessarium, neque indoli institutionum satis proprium esse duxi, illudque tantum sedulo cavi, ut principia omnia perspicue exponerem, in quibus quaestionum omnium solutio contineretur: praesertim cum eiusmodi applicationes orali praeceptoris declarationi relinquendae sint, qui nisi habeat, in quibus utiliter doctrinam suam exerceat, ad suam dignitatem pertinere facile arbitrabitur in alia discurrere, quae fortasse oneri magis quam adiumento auditoribus erunt. Delibavi tamen per accidens, ubi opportunitas fuit, quae praecipuae sunt, itaque praeceptori occasionem exhibui eas planius declarandi.

Habes igitur, lector, quantum satis est, rationem operis mei, quod si quidquam in Ecclesiae bonum conferet, gratias Deo agam; sin minus, nihil aliud mihi restat, nisi ut vehementer optem, ut, quod mihi fuit in votis, id alii melius feliciusque exequantur.



DE IURE ECCLESIASTICO PUBLICO



1. Ius etsi plura significet, cum tamen ad obiectum scientiae indicandum traducitur, *systema legum* exprimit, *quibus societas aliqua ordinatur, ut et conservari et finem suum assequi possit*. Quapropter *Ius Ecclesiasticum* systema legum intelligimus, quibus ordinatur Ecclesia Christi, ut rite conservetur, finemque proprium consequatur.

2. Iam vero neque conservari, neque assequi finem suum ulla societas potest, nisi 1°. apto membrorum ordine (iis scilicet, qui praeesse, ab iis, qui parere debent, rite distinctis) sit constituta, simulque viribus ad semetipsam conservandam, finemque suum consequendum proportionatis praedita sit; et nisi 2°. eiusmodi vires in actum exserat, ita per eas dirigendo singula membra, ut praestitutum finem assequantur. Hinc duplex quoque in unaquaque societate systema legum distingui necesse est, alterum nimirum, quo ipsius societatis constitutio determinatur, quod proinde audit *ius publicum;* alterum vero, quo leges continentur, quibus eiusdem societatis membra diriguntur ad finem in ea propositum assequendum, quod propterea *ius privatum* appellatur. Ergo etiam in Ecclesia Christi duplex ius recte distinguitur, *Ecclesiasticum publicum*, et *Ecclesiasticum privatum* (*).

(*) Haud igitur absurda est iuris ecclesiastici in *publicum* et *privatum* distinctio, quod nuperrime contendit cl. Philips praepostera deceptus iuris publici ecclesiastici notione, quae fortasse in Germania invaluit. Ait enim (*Droit ecclésiast. trad. par M. Crouzet., Introduct*. §. 3.) eiusmodi distinctionem admitti non posse, nisi duplex quoque regiminis norma in Ecclesia admittatur, quarum altera eius membra regantur singillatim sumpta, altera eadem in corpus coacta: quae quidem ratiocinatio indicat clarissimum auctorem distinctionem quandam iuris ecclesiastici in publicum ac privatum prae oculis habuisse, quae *ratione subiecti* facta sit, cum tamen *ratione obiecti* sit facienda.

3. Est igitur Ius publicum ecclesiasticum, ut ex dictis consequitur, *Legum systema, quibus Ecclesiae constitutio definitur*. Constitutionis autem nomine ea statuta intelligimus, quibus alicuius societatis regimen ordinatur, sive respectu potestatis, quae eidem ad finem suum consequendum sit attributa, sive respectu personarum, in quibus dicta potestas resideat. Inde est, quod ius ecclesiasticum publicum duobus complectimur libris, in quorum primo res sit *de Ecclesiae potestate in se spectata*, in altero *de eiusdem potestatis subiecto*.

LIBER PRIMUS

DE ECCLESIAE CHRISTI POTESTATE IN SE SPECTATA.

4. Cuiuslibet societatis potestas, ceu mox innuimus, paulloque inferius demonstrabimus, ad eiusdem finem assequendum proportionem habeat necesse est. Quapropter cum finis Ecclesiae proximus, per quem ad ultimum tenditur, qui est vita aeterna, *sanctificatio sit animarum* (*), quae nonnisi geminarum virium conspiratione comparari potest, hoc est *gratia sanctificante*, quam Christus *per Sacramenta* conferri voluit, atque *hominis* sive per rectam fidem, sive per bonam vitam *cooperatione*, necessario sequitur, duplex potestatis genus in Ecclesia esse oportere, eam scilicet, quae ordinatur ad efficienda Sacramenta, quaeque *potestas ordinis* dicitur, et eam, quae ad fidelium cooperationem dirigendam, et, quantum fieri potest, efficaciter urgendam instituta est, quaeque *potestas iurisdictionis* appellatur (**). Iam vero potestas ordinis a Theologis plenius exponitur, adeoque abstinendum ab eadem censemus; praesertim cum eiusmodi materia in iure ecclesiastico privato,

(*) *Rom. VI. 22.*

(**) Tertium potestatis genus, quod *Magisterii* appellavit, frustra invexit cl. Philips *(op. cit. §. XXXII. et alibi)*. Si enim purum sit magisterium, potestas dici nequit; sin autem ita concipitur, ut ius eidem insit inclinandi Fideles in obsequium fidei, eorumque assensum imperandi, *pars* est potestatis iurisdictionis. Non erat igitur discedendum a doctrina in scholis catholicis communi.

hoc est in iure canonico, quantum satis est, attingi debeat, ubi de Sacramentorum administratione res erit. Tota igitur quaestio *de iurisdictionis potestate* versabitur, deque legitimis eius limitibus a iustis fundamentis eruendis. Quae porro fundamenta tria in Ecclesia animadverti possunt, quorum duo ceteris societatibus communia sunt, tertium est Ecclesiae proprium. *Proprium* Ecclesiae est positiva voluntas divini eius Institutoris; ex duobus reliquis alterum est *intrinsecum,* quod ex ipsa eius natura deducitur, alterum *extrinsecum,* quod ex aliqua pactione dimanat.

CAPUT PRIMUM

DE ECCLESIAE POTESTATE, QUAE EX EIUS NATURA DEDUCITUR.

5. In investiganda potestate, quae ex hoc fonte oritur, viam hanc tenebimus. *Primo,* studio omni seposito, factaque abstractione ab Ecclesia, ex iure naturali recognoscemus, quae et quanta sit potestas, quae cuilibet societati perfectae vi suae naturae competit; *Secundo* natura Ecclesiae considerata, eam societatem esse perfectam demonstrabimus; quae duo exposita cum fuerint, ipsius Ecclesiae potestas, quae ex hoc fonte dimanat, logica necessitate per se innotescet.

SECTIO PRIMA

DE POTESTATE, QUAE CUILIBET SOCIETATI PERFECTAE VI SUAE NATURAE COMPETIT.

6. *Societas* est multitudo hominum ea ratione coeuntium, ut collatis viribus media sibi comparent ad certum communemque finem assequendum (*): *perfecta* autem ea

(*) *Cf. Taparelli, Saggio teoretico di diritto naturale* §. 301 *et seqq.* Porro eiusmodi definitio societatem exprimit *in suo genere* acceptam. Quapropter non ita est accipienda, quemadmodum a doctissimo viro acceptam esse legi, ut societas tantum *voluntaria* per eam indicetur, qua scilicet homines nulla necessitate compulsi *arbitrio suo* coeunt ad finem *libere ab iis volitum* obtinendum. Verbo enim *coeuntium* non *caussa* indicatur, unde coeunt, utrum ex necessitate ea sit an ex arbitrio, sed *merum coeundi factum.* Verbis autem *certum communemque* non id af-

dici debet, quae est in se completa, adeoque media ad suum finem obtinendum sufficientia in semetipsa habet (*).

7. Ex tradita societatis definitione sequitur, elementa cuiuslibet societatis quatuor esse, *Multitudinem hominum, Moralem eorum coniunctionem, Finem ad quem conspirant, Media ad finem consequendum;* ex quibus Multitudo hominum *materiam* societatis constituit, reliqua *formam;* ita tamen, ut *Finis* sit obiectum, ad quod cetera tendunt. Unde haec dimanant:

I. Praecipuum societatis elementum esse finem: quia cetera ad illum ordinantur, eique serviunt.

II. *Media* non posse determinari in se, sed pro varia finis necessitate ex eorum proportione ac sufficientia ad illius assequutionem: quia media natura sua sunt ad finem ordinata, ita ut catenus tantum expetantur, quatenus ad finem conducant (**).

III. Naturam seu Essentiam societatum *ex fine earum adaequato* determinari. *Probatur:* Determinare alicuius rei essentiam idem est, ac assignare notam aliquam eidem intrinsecam et immutabilem, quae sit ei unice propria. Atqui nota intrinseca et immutabilis, quae singulis societatibus sit unice propria, non potest esse, nisi finis: quia ex quatuor elementis essentialibus *duo priora,* idest multitudo hominum, eorumque coniunctio, quatenus in se spectantur, abstractione facta a fine, sunt communia generi; *tertium* autem, idest *media* non est per se determinatum (*heic* II), insuper aliis etiam potest esse commune; contra vero *quartum,* idest *finis* in societatum genere est plane indetermi-

firmatur, quod in qualibet societate *finis* a sociis ipsis eligi semper, ac praestitui debeat, sed quod esse debeat *definitus,* neque incertus esse possit, idemque *ad omnes pertineat,* atque ita sit communis. *Cf. Calv. Lex iurid. V. Commune* §. *Commune dicitur.*

(*) Huc recidunt, quae de notione societatis perfectae habet *S. Thom.* 1. 2. *quaest.* 90. *art.* 3. *ad* 3, ubi innuit *societatem perfectam* eam esse, quae non sit alterius pars, quaeque finem non habeat ad alterius finem (in eodem scilicet genere) ordinatum; adeoque sit in suo genere independens et in se completa: unde consequitur, quod media ad sui conservationem, propriique finis assecutionem necessaria in semetipsa habere debeat.

(**) *Cf. Taparelli op. cit.* §. 16 *et seqq.*

natum, determinatur autem tantum in singulis societatibus, ita ut uniuscuiusque sit unice proprium. Ergo ex fine tantum essentia societatum determinari potest. Quae vero societates inter se distinctae sunt, et nihilominus eundem *adaequate* finem habent, eae sunt totidem repetitiones eiusdem societatis, quae non *natura* sed *numero* distinguuntur.

IV. Iura omnia, quae pro sua natura societati competunt, ex eius fine prodire. *Probatur:* Ius est potestas ad illud, quod ad rationis normam competit (*): at in qualibet societate quidquid alienum est a fine non est ad rationis normam; quia non habet rationem sufficientem; siquidem ratio sufficiens societatis tota est in fine (*heic* I). Ergo iura omnia, quae pro sua natura societati competunt, prodeant ex fine necesse est.

Hisce praenotatis *potestatem*, seu complexionem iurium, quae cuilibet societati perfectae *pro eius natura* competit, iam exponimus, et primo quidem eam, quam *in suos* habet, deinde eam, quam *in extraneos.*

ARTICULUS PRIMUS

De potestate, quae pro eius natura societati perfectae in suos competit.

8. Potestas, quae pro eius natura societati perfectae in suos competit, generali hac regula continetur: *Ut, quae sunt necessaria ad finem plene consequendum, exigere iure possit; quae non sunt necessaria, non possit; quae vero necessaria sunt, sed pertinent ad ordinem quendam superiorem, ea per se ordinare et determinare non valeat.*

9. *Probatur* 1ª. *pars.* Ius aliquid exigendi correlativum est officio, quod alteri parti inest, illud praestandi. Atqui pro natura societatis singulis eius membris inest officium sponte susceptum, si societas sit voluntaria, legitime impositum, si necessaria, conferendi in societatem vires suas ad ea comparanda, quae sunt necessaria ad eius finem plene integreque assequendum (6). Ergo societati pro sua natura inest ius eadem ab illis exigendi.

(*) *Cf. Taparelli op. cit.* §. 341 *et seqq.*

10. *Ob.* Nullum ius est exigendi conatum ad id, quod est moraliter impossibile. Conatus autem ad plenam finis assequutionem, spectata hominum conditione, est conatus ad impossibile. Ergo ius exigendi talem conatum, ut, quae necessaria sunt ad plenam finis assequutionem praestentur, nullum esse potest.

R. Conatus ad perfectionem actu apprehendendam est conatus ad impossibile *conc.* Conatus accedendi ad perfectionem per indefinitum graduum numerum pro variis circumstantiis statuque societatis est conatus ad impossibile *nego.* Hinc sequitur, ut legislatoribus id instar regulae esse debeat: licet per se potestatem habeant exigendi quae ad plenam finis exequutionem necessaria sunt, *usum* tamen eiusmodi pôtestatis *prudentem* esse debere, ita ut praesenti societatis statui leges contemperent, neque quidquam praecipiant, quod, habita illius ratione, sit moraliter impossibile.

11. Ex hac autem prima parte propositionis tria profluunt *corollaria* notatu dignissima, quaeque prae oculis semper habenda sunt.

I. Ius esse societati non modo exigendi, quae sunt *immediate* necessaria, idest ea, quae cum assequutione finis sunt immediate connexa, verum etiam quae *mediate*. Etenim mediata haec necessitas est *vera necessitas*, imo et ordinaria et communior. Sive enim ex imperfectione naturae et voluntatis nostrae, sive ex ipsa difficultate finis, sive caussa impedimentorum, quae intercedunt, vix unquam fieri potest, ut uno actu finis apprehendatur, sed sensim et per quosdam gradus est ad illum accedendum:

II. Cum plura media suppetunt, quorum nullum est necessarium in individuo, aliquod autem est necessarium in genere, ius esse societati eligendi, quod opportunius indicaverit, siquidem hoc ipsum ius est *necessarium* ad finis assecutionem. In ordine enim ad assecutionem finis illud est societatibus plane necessarium, ut inter membra sit vera conspiratio, tum quia id pertinet ad essentiam ipsam societatis (6), tum quia sine hac conspiratione alter alterum impediret, finemque propositum disperderet. At eiusmodi conspirationem, si mediorum electio singulis relinquatur, manifestum est nullam esse, aut saltem permanere diu nul-

lam posse: cum enim hominum actus sint liberi, neque a natura determinati, est moraliter impossibile, eos per se ferri et quidem constanter in verum consensum. Necesse est igitur, ius electionis mediorum pertinere ad ipsam societatem, seu ad illum, in quo societatis iura resident:

III. Ius esse societati iudicandi de mediorum necessitate sive quoad qualitatem, sive quoad numerum, suoque iudicio membra sua subiiciendi, nisi forte sit erroneum manifeste, idest sine ulla controversia, atque omnibus circumstantiis perspectis. Etenim hoc etiam ob rationem modo propositam est necessarium. Ratio autem limitationis manifesta est. In ea enim hypothesi totum deficit iuris fundamentum (*cf. proximum num.* 12); adeoque nonnisi per accidens membra societatis huiusmodi iudicio subiicere se in praxi deberent, hisce videlicet concurrentibus conditionibus: 1°. Ut sine peccato imperata fieri possint (*cf. sequentem num.* 13); 2°. Ut alia quaedam ratio id exigat, ex. gr. ut eadem negligi sine perturbatione societatis nequeant.

12. *Prob.* 2ª. *pars, idest quae nullo sub respectu* (cf. supra n. 11) *necessaria sunt ad finem consequendum, eadem a societate exigi pro sua natura non posse.* Fundamentum potestatis, quam pro sua natura societas habet exigendi aliquid a suis, situm est in necessario eiusdem nexu cum ipsius societatis fine, ita ut qui alterum vult, alterum quoque velle omnino debeat (9); Atqui in iis, quae nullo sub respectu ad finem sunt necessaria, eiusmodi nexus non habetur; Ergo in iis, quae nullo sub respectu ad finem sunt necessaria, nullum est societati fundamentum, adeoque nullum ius eadem pro sua natura exigendi.

13. *Prob.* 3ª. *pars.* Ius est potestas ad illud, quod ad rationis, adeoque ad ordinis normam competit (7, IV). Atqui ordini repugnat, ut ea, quae ad ordinem superiorem pertinent, quisquam ordinet ac determinet. Ergo ius ordinandi ac determinandi ea, quae pertinent ad ordinem superiorem, in societate esse non potest.

Ob. Quaelibet societas ius habet ad sui conservationem. Atqui sine ordinatione et determinatione mediorum, quae sint necessaria ad finem consequendum, ut ut sint superioris ordinis, eius conservatio haberi nequit. Ergo quaeli-

bet societas ius habet ad ordinationem et determinationem etc.

R. Dist. mai. Societas ius habet ad sui conservationem, servatâ subordinatione ad ordinem superiorem *conc.*, omissâ... *nego.* Item *dist. min.* Societatis conservatio sine ulla omnino mediorum, de quibus dicimus, determinatione etiam subordinate ad ordinem superiorem, idest per recursum ad eum, cui superioris ordinis cura commissa est, haberi nequit *conc.* salvo ad eundem recursu *nego* (*). Quamvis autem non licet societati ea, quae sunt ordinis superioris, per se ordinare et determinare; nihilominus manifestum est, merito ab ea ad exequutionem urgeri, novisque additis poenis a suis membris exigi, quae ab eo, qui ordinis superioris curam habet, determinata iam sunt: id enim est non contra ordinem agere, sed eundem adiuvare.

14. Iam vero ex praedicta generali regula totum evolvitur potestatis systema, quam perfecta societas habet *in suos;* siquidem adaequata divisio ex ea profluit potestatis eiusdem, quae est in *legiferam,* in *iudiciariam,* et in *coactivam. Prob.* Ex regula generali tota potestas, quam vi suae naturae societas perfecta habet *in suos,* consistit in iure exigendi, quae necessaria sunt ad finem plene assequendum. Atqui ad finem plene assequendum tria haec tantum requiruntur: 1°. ut media, quae ad finem conducunt, obligatorio modo proponantur: 2°. ut, quae proposita sunt, rite, idest iuxta eum modum ac sensum, quo fuerunt proposita, applicentur: 3°. ut renuentes eadem applicare, vi adhibita, cogantur, impedientes coerceantur: ex quibus primum constituit potestatem *legiferam,* alterum *iudiciariam,* tertium *coactivam.* Ergo potestatis divisio, quam vi suae naturae societas perfecta habet in suos, in legifera, in iudiciaria, in coactiva potestate adaequate continetur.

De hac igitur triplici potestatis specie singillatim iam est agendum.

§. I.

De potestate legifera.

15. Potestas *legifera* est potestas proponendi obligatorio modo quae ad societatis finem assequendum sunt necessa-

(*) *Cf. cap. 5. De Rescr.*

ria (14). Qua notione posita, hae propositiones ex iis, quae iam dicta sunt, dimanant.

I. *Potestas legifera societati perfectae certissime in suos competit. Prob.* Competit societati perfectae ius exigendi a suis quidquid necessarium est ad finem consequendum (9). Atqui ad finem consequendum pro humani intellectus diversitate,et voluntatis inconstantia, indomitoque cupiditatum aestu in qualibet agentium multitudine necessaria est potestas aliqua, quae habeat ius designandi media, atque omnes ad eadem adhibenda obligandi ; qua in re potestas legifera consistit. Ergo potestas legifera societati perfectae certissime competit.

II. *De legum opportunitate aut necessitate competit societati perfectae iudicare ac decernere, suaque membra iudicio suo subiicere, nisi forte manifeste erroneum illud sit. Probatur* eodem argumento, quo superior propositio : atque insuper iis quae supra *num.* 11. dicta sunt.

III. *In iis, quae pertinent ad ordinem superiorem, nulla est societati legiferae potestas, nisi forte ad urgendam eorumdem exequutionem, cum iam determinata fuerunt ab eo, cui superioris ordinis cura commissa est.* Probatur ex dictis *num.* 13.

16. Hinc autem tota explicatur de legibus theoria. Et 1°. quidem notio ipsa legis ex dictis manifesta est. Patet enim ex iis, legem esse propositionem alicuius medii sive positivi sive negativi obligatorio modo ab eo factam, in quo societatis potestas residet, ad ipsius societatis finem sive immediate sive mediate (11,I.) assequendum sine perturbatione ordinis superioris. Quod si medium propositum fuerit *positivum*, patet legem in iubendo esse, idest *affirmativam* esse; si *negativum*, esse in vetando, idest esse *negativam;* sin aliquid lex permittat, tum profecto id agere, ut declaret, illud fini societatis minime obstare, simulque e re publica esse, ne is, cui illud permissum est, in eiusdem usu turbetur, qua ex parte est in vetando, proindeque negativa. Lex igitur recte definitur: *Regula rationabilis agendi in ordine ad finem societatis ipsius membris obligatorio modo proposita ab eo, in quo eiusdem potestas residet.* Ex quo patet, *materiam* legis esse regulam ipsam agendi, quae proponitur, duplici

hac qualitate praeditam, nimirum 1°. ut sit rationabilis, idest honesta ordinique conformis, 2°. eiusmodi ut conducat ad finem societatis; *formam* autem ipsam regulae propositionem, idest sufficientem significationem societatis membris factam per modum obligationis ab eo, in quo societatis potestas residet. Quamobrem lex nulla erit *ex defectu materiae,* si regula proposita alterutra ex praedictis qualitatibus, idest honestate vel aptitudine conducendi ad finem manifeste (11) careat: erit autem nulla *ex defectu formae* 1°. si regula non fuerit sufficienter proposita, seu promulgata; 2°. si fuerit proposita per modum consilii, non autem per modum obligationis; 3°. si ab alio proposita fuerit, quam ab illis, in quibus societatis potestas legitime residet.

17. Hinc plura habes corollaria. Et primo quidem ex iis, quae de *forma legis* dicta sunt, haec dimanant:

I. Promulgationem legis rite esse factam, si eiusmodi sit, ut legis notitia diffundi ad omnes *moraliter* possit. Quae enim talis est, vere *sufficiens* habenda est; praesertim cum *ex parte legislatoris* vera sit impossibilitas eam *physice* singulis faciendi (*); *ex parte* autem *subditorum* vera incumbat obligatio leges cognoscendi (**). Unde facile haec intelliges:

a) Primam legis propositionem *authenticam* quidem esse debere, idest ita factam, ut dubitari non possit, eam ab illo prodiisse, in quo societatis potestas residet; at eius *propagationem* nullo modo:

b) Non immerito apud omnes gentes aut semper, aut saltem ut plurimum servata haec fuisse: 1°. ut legibus aetate maiorum promulgatis etiam posteri obligentur; 2°. ut litteris publice expositis promulgatio fiat, licet litteras plurimi nesciant, plurimi autem prodire in publicum ad legendum non possint; 3°. ut una tantum in urbe unoque in loco (quod saltem de republica Romanorum constat) leges non raro propositae sint (***).

(*) *Cf. cap. 1. de Postul. Praelat.*

(**) *Cf. cap. 3. de Regulis Iuris in 6.*

(***) *Cf. Zacaria Dissert. inscripta: Comandi chi può, obbedisca chi deve: num. XV. et seqq. Suarez de Legibus lib. I. cap. XI; et lib. IV. cap. XV.*

II. Repugnare notioni legis, ut acceptatio populi necessaria habeatur, quo possit vim suam exserere. Etenim pertinet ad formam legis, ut *per modum obligationis* sit proposita (14, 15, et 16): non esset autem, si liceret illam reiicere. Ergo si quando requiritur acceptatio populi, id esse aliter nequit, inquit Suarez *L. I. C. XI. de leg. n.* 6, nisi aut propter imperfectam potestatem principis, quia ex peculiari suae societatis constitutione sub hac dependentia suscepit potestatem, aut ex eiusdem benignitate, qui absoluta sua potestate uti nolit (*).

18. Ex iis vero, quae de *materia legis* dicta sunt, haec consequuntur :

I. Licet sit iniusta, adeoque irrationabilis, proindeque *ex defectu materiae* nulla ea lex, quae manifeste laedit ius verum, eam tamen eiusmodi non esse, quae offendit ius ceteroqui verum, sed eo in casu vigere desinens ex concursu boni, iurisque superioris; quia eiusmodi in casu esse ius desiit (**).

II. Si qua lex initio rationabilis, deinde, circumstantia aliqua accedente, aut honesta esse, aut conducere ad finem desiit, eam non modo posse, verum etiam debere abrogari, aut mutari; quia rationabilis esse desiit, adeoque periit ex defectu materiae.

III. Si qua lex sit per se et respectu societatis rationabilis, respectu autem alicuius minus rationabilis, recte posse illum eadem solvi seu dispensari, nisi tamen bonum publicum obstet (*cf. heic* I.).

Potestate legifera ita constituta ac declarata, firmissime simul constituta sunt cetera omnia, quae in societatibus praecipi solent aut possunt, et de quibus iuris publici scriptores seorsim agere consueverunt; ex. gr. ius exigendi tributa, aut etiam publica quaedam praedia constituendi, unde societatis necessitatibus consulatur, et quidquid ad eorumdem bonorum administrationem pertinet; ius constituendi minores magistratus, eorumque iurisdictioni certum locum definiendi; ius interdicendi quidquid societati eiusque fini perniciosum esse existimatur, ex. gr. lectionem pravorum librorum, aliaque

(*) *Cf. Zacaria op. cit. num. XI. et seqq.*

(**) *Cf. Taparelli Saggio teoretico di Diritto Naturale num.* 361, cuius loquendi formula, licet diversa sit, eodem tamen recidit.

sexcenta. Cum enim haec omnia nihil aliud sint, nisi totidem *media* sive positiva sive negativa ad finem consequendum, hinc omnia continentur in potestate legifera, quam in hoc ipso consistere diximus, ut media ad finem necessaria proponat ac praecipiat (14, et 15).

Iam igitur ad ipsam applicationem mediorum gradus est faciendus, idest ad potestatem, quae de illa iudicat, seu *ad potestatem iudiciariam.*

§. II.

De potestate iudiciaria.

20. Potestatis *iudiciariae* hoc proprium esse diximus, efficere, ut media proposita applicentur rite, idest iuxta eum modum ac sensum, quo per potestatem legiferam sunt proposita (14): quod quidem duo involvit *iudicia*, alterum de vero legum sensu, alterum de sociorum actionibus, utrum nimirum praedicto legum sensui conformes sint, necne: unde eiusmodi potestas recte *iudiciaria* appellatur. Quibus praemissis, sequitur

Propositio. Competit societati perfectae potestas iudiciaria.

Prob. Competit societati perfectae ius exigendi a suis quidquid necessarium est ad finem consequendum (9). Atqui ad finem consequendum necessarium est, media per potestatem legiferam proposita rite applicari; id autem spectata rectae applicationis natura, humanique intellectus diversitate, perversarumque cupiditatum aestu, quo non raro transversum agimur, fieri nequit, nisi in ipsa societate potestas sit, cui parere omnes teneantur, de vera iustaque mediorum applicatione tum in se, tum relate ad sociorum actiones iudicandi; qua in re potestas iudiciaria consistit. Ergo competit societati perfectae potestas iudiciaria.

a) Confirmatur propositio quoad primam potestatis iudiciariae partem, idest competere societati perfectae ius cognoscendi de vera iustaque mediorum applicatione in se spectata, quatenus nimirum ad eum modum ac sensum facienda sit, quo eadem media per potestatem legiferam fuere proposita. Eius est cognoscere de vero legum sensu, cuius

est ferre leges, tum quia nemo melior interpres est, quam ipse sui, tum quia ius cognoscendi de legibus cohaeret necessario potestati legiferae, quae inutilis fieret, si alteri independenter a legislatore arbitrium concederetur eas ad sensum suum detorquendi. Atqui societati competit in suos potestas ferendi leges; ergo etiam potestas cognoscendi de legibus.

b) Confirmatur quoad alteram partem, idest competere societati perfectae ius cognoscendi de sociorum actionibus, utrum vero legum sensui conformes sint. Eius est cognoscere de actionum conformitate vero legum sensui, cuius est verum legum sensum determinare. Atqui eiusmodi potestas societati perfectae ex dictis competit; ergo etiam altera.

21. Hinc habes duo haec corollaria:

I. Potestatem mere *arbitralem*, idest sine facultate cogendi, cuiusmodi est illa, quam *arbitri* exercent, idest privati illi iudices, qui ab iis, qui iudicio contendunt, electi sunt, haberi non posse in perfecta societate sufficientem; quia eiusmodi potestas, utpote tantum *directiva*, non autem *coactiva*, nihil impedit, quominus unusquisque pro sua libidine privataque utilitate se gerat, adeoque efficere non valet, ut omnes ad eum tantum modum ac sensum media applicent, quo a potestate legifera proposita sunt:

II. Neminem esse posse iudicem in causa propria; praesertim cum iudicia nostra, quando agitur de rebus nostris, cupiditati magis, quam aequitati facile faveant. Nihilominus societatis princeps in iis rebus, quae ad ipsum, qua talis est, pertinent, verus est iudex; tum quia repugnat eundem sub eo ipso respectu alii subiici; tum quia pertinet ad conservationem societatis, et ad finis assequutionem, ut is, in quo societatis iura plene resident, habeat ius ea imperandi, quae sibimetipsi opportuniora videntur, suoque iudicio ceterorum iudicia subiiciendi (11).

§. III.

De potestate coactiva.

22. *Propositio.* Competit societati perfectae potestas coactiva.

Prob. Ad societatis finem obtinendum non est sufficiens potestas *mere directiva,* idest potestas quaedam magisterii, quae media indicet, modumque ea adhibendi commonstret, sed necessaria est potestas vere *coactiva,* quae contumaces, vi externa adhibita, coerceat, sive illi renuant applicare media, quae per potestatem legiferam proposita sunt, sive nolint decretis potestatis iudiciariae eadem rite applicari iubentis parere, sive denique societatis finem, aut mediorum oeconomiam quoad alios impediant: siquidem homines non ignorantia tantum, verum etiam malitia et contumacia societatem turbare solent; neque etiam desunt, qui naturalis vitii necessitate id faciunt: malitia autem et contumacia, multoque magis naturalis necessitas nonnisi vi externa opposita cohiberi potest. Ergo competit societati perfectae potestas coactiva.

a) *Confirm.* Societati perfectae competit potestas legifera (15) et iudiciaria (20). Atqui utraque potestas exigit potestatem coactivam (16, 21); secus enim foret inefficax. Ergo etc. (*).

23. Hinc potestatis coactivae theoria facile explicatur. Et primo quidem naturale fundamentum dignoscitur potestatis coactivae, quod est necessitas tutelae ordinis socialis, ne finis assecutio impediatur: quandoquidem haec est unica ratio sufficiens eiusmodi potestatis (22 *collatis* 7, *IV*, 12, et 14).

24. Perspicitur deinde quae sint personae, in quas potestas coactiva exerceri potest; nimirum in omnes, a quibus socialis ordo laeditur, aut in discrimen vocatur; proindeque

I. In omnes, qui malitia et contumacia sua socialem ordinem opere, ac pravis exemplis turbant:

II. In eos, qui vitio naturae id faciunt: unde ius segregandi morbo pestilenti infectos, dementes recludendi etc.

III. In eos, de quibus certitudine quadam morali iudicari potest, socialem ordinem ab iis turbatum iri: unde leges de vagis, de otiosis etc.

25. Denique totum iuris criminalis systema inde explicatur; in quo quidem, ne praeter necessitatem multi si-

(*) De potestate coactiva Ecclesiae consuli potest *Zacaria Dissert. inscripta « Comandi chi può ecc. » num. XXII usque ad finem; et Bianchi della esterior polizia della Chiesa Lib. I, cap. V, §. VI.*

mus, pauca quaedam, quae opportuniora sunt, delibabimus. Itaque

I. Apparet notio criminis et poenae. Hinc enim patet, *crimen* esse actionem, vel iniustam omissionem auctori suo imputabilem, quae ordinem socialem turbat: imputabilem, inquam, quia *crimen* differt a ceteris actionibus, quae potestati coactivae item subsunt, sed ex vitio naturae, ac necessitate oriuntur. *Poenam* autem manifestum est esse *malum* passionis, aut privationis delicti caussa etiam in invitos auctoritate publica inflictum, ut omnes a perturbando societatis ordine deterreantur. Ex quibus sequitur:

a) Ad *crimen* non pertinere actionem, quae a libera voluntate non dimanat, neque actionem, quae ordinem socialem, idest finem et oeconomiam mediorum non turbat, licet alio sub respectu prava sit:

b) Peccatum *tacita mentis cogitatione* patratum non esse delictum, licet aliqua ratione in lucem veniat; dummodo de societate non agatur, ad cuius finem pertineat etiam privata uniuscuiusque institutio:

c) *Propagationem doctrinae*, quae tendit ad laedendum ordinem socialem, esse verum delictum:

d) *Conatum externum* ad delictum, cum tranquillitatem socialis ordinis turbet, esse verum delictum, licet consummato multo levius:

e) *Poenam* nihil aliud esse, nisi medium ad conservationem ordinis obtinendam:

f) *Poenitentias*, seu poenas, ad quas suscipiendas peccatorum rei per se accedunt, eatenus poenas appellari posse, quatenus ab auctoritate publica ita imponantur, ut recusari nequeant, cuiusmodi, ex. gr. fuere poenitentiae publicae ecclesiasticae, quas excommunicationis metu suscipere ii, qui deliquerant, adigebantur.

II. Apparet origo, fundamentum et finis poenarum: *origo* scilicet et fundamentum est necessitas tutelae ordinis socialis; *finis* conservatio eiusdem ordinis, ad quam tutela natura sua ordinatur. Etenim ius infligendi poenas praecipua pars est potestatis coactivae. At origo et fundamentum potestatis coactivae est tutela ordinis socialis (23); proindeque eius finis eiusdem ordinis conservatio. Ergo etc.

a) *Ob.* 1. Ad finem poenarum pertinere debet 1°. reparatio personae laesae; unde poenae reparatoriae; 2°. emendatio delinquentis; unde poenae medicinales; 3°. vindicta laesae honestatis, quam natura ipsa postulat, quae in improborum felicitate aegrescit et indignatur. Ergo non in sola ordinis socialis tutela fundamentum et finis poenarum collocari potest.

R. Ad 1^{am} et 2^{am} *dist.* quatenus ea postulet finis, adeoque ordo ipse societatis, de qua agitur, *conc. ant.*, absolute *nego ant.* Inde porro est, quod poenarum medicinalium usus adeo frequens est in Ecclesia, quia nimirum in eius fine privata etiam uniuscuiusque institutio continetur.

Ad 3^{am} *Resp.* 1°. *nego*, dummodo agatur *de mera honestatis laesae vindicta citra ullam necessitatem ordinis socialis.* Mera enim honestatis laesae vindicta pertinet ad ordinem supremum, et iudici Deo reservatur. Ad confirmationem *dist.* Naturalis hominum in scelestorum felicitate aegritudo et indignatio necessitatem indicat alicuius poenae saltem in futura vita a iudice Deo infligendae *conc.*, secus *nego.*

Resp. 2°. *dist.* quatenus vindicta laesae honestatis coniungitur cum necessitate sensus moralis, sine quo socialis ordo diu conservari nequit *conc.*, secus *nego.*

b) *Ob.* 2. Si fundamentum iuris poenalis in sola socialis ordinis tutela constituendum est, sequitur, puniri non posse 1°. delictum, quod iterari nequit; 2°. delictum, quod omnino praeterierit, idest cuius nullum extet vestigium: eiusmodi enim delicta laedere socialem ordinem nequeunt. Haec autem admitti non debent. Ergo etc.

R. *Nego mai.* quoad utramque partem. Etenim ratio ordinis socialis contrarium exigit. Nisi enim eiusmodi delicta puniantur, ansa, liberque aditus improbis datur 1°. perpetrandi *in alia quadam specie* delicta, quae nequeant iterari; 2°. cetera etiam delicta ea scilicet spe, se deinceps curaturos, ut perpetrati criminis vestigium nullum supersit, et omnino obliteretur. Neque enim existimandum est, poenas ad restituendum tantummodo ordinem turbatum institutas esse, verum etiam et quidem maxime ad ceteros deterrendos, ne in futurum turbetur.

III. Apparet, quae esse debeat materia, qualitas, et pro-

portio poenarum; nimirum talis, quae conservationem ordinis socialis certo pariat.

Prob. Poena nihil aliud est, nisi medium ad conservationem ordinis obtinendam *(heic l. c)*. Atqui materia, qualitas, et proportio mediorum determinanda est a finis necessitate, idest talis esse debet, quae finem certo pariat (7,II). Ergo etc.

IV. Ut alia minus necessaria omittam, quae item ab eodem principio deducuntur, cuiusmodi ex. gr. sunt 1°. reliquae poenarum conditiones, ac praesertim ut certas sint et inevitabiles; 2°. ius aliquando concedendi veniam; 3°. limites eiusmodi concessionum; siquidem per accidens fit aliquando, ut venia delicti sive directe sive indirecte conferat ad bonum, atque ordinem publicum, cui bono cum nocere incipiat, tum certe ius eam concedendi deficit; his, inquam, et aliis omissis, ex eodem principio etiam perspicitur *necessitas carceris et vis armatae;* siquidem sine carceribus et vi armata neque ordinis socialis securitas certo haberi potest, neque ipsa exerceri potestas coactiva.

APPENDIX.

26. Ex hoc toto articulo, praesertim vero ex numero 14 sequitur, si quid iuris societati tribuatur, quod ad triplicem illam potestatem, quam exposuimus, reduci nequeat, id nomine iuris perperam honestari. Quapropter, cum audis ex.gr. *Dominium eminens Principis in civium bona,* id per se et ordinario scias *improprie* dici, quatenus scilicet *Dominii* nomine intelligitur ius leges ferendi de singulorum bonis, prout exigit societatis finis; quod quidem ad potestatem legiferam pertinet (19). Dixi autem *per se ordinario;* potest enim concipi gens aliqua subacta armis, et ad statum servitutis hac lege redacta, ut dominium eminens agri ad principem victorem fuerit devolutum, cuiusmodi saepe fuit ius barbarorum, qui Romanum imperium occuparunt (*).

(*) *Cf. Soto de iust. et iure lib. IV, Art.* 1, *Concl.* 1.

ARTICULUS II.

De potestate, seu de iuribus perfectae societatis in extraneos.

27. Extraneus societati is dicitur, qui est extra societatem, seu qui non est illius membrum. Triplici autem modo extraneus quis esse potest, *ex toto, ex parte* et *per quandam abstractionem*. Ex toto, seu absolute extraneus ille est, qui nulla ex parte ad societatem pertinet. Extraneus ex parte ille dicitur, qui ex altera parte societati devinctus est, ex altera ad illam non pertinet; cuiusmodi est ex. gr. qui in societatibus necessariis (*) poenae caussa extra societatem actus sit, neque tamen solutus fuerit obligatione redeundi, neque a cura et potestate Magistratus eundem emendandi. Denique qui plurium societatum eodem tempore sit membrum, is prout consideratur huic vel illi societati addictus, facta a ceteris abstractione, vi eiusmodi abstractionis extraneus ab hisce recte appellatur. Exordiamur a tertia hac specie, quippe quae ad rem nostram maxime pertinet.

§. I.

De potestate societatis perfectae in eos, qui tantum per abstractionem extranei sunt.

28. Cum plures societates inter se diversae iisdem membris constant, manifestum est, eas rationem habere plurium atque inter se diversarum *obligationum,* quae eidem subiecto inhaerent. Neque enim aliud est *societas,* nisi hominum multitudo hoc sub respectu considerata, quod *mutuam obligationem* iidem susceperint sive ultro, sive imperio eius, qui eam imponere legitime potuit, conferendi vires suas ad certum finem consequendum (6). Iam vero obligationum vis, quae eidem subiecto eodem tempore inhaerent, diversa plane

(*) Non abs re erit adnotare societates *necessarias* eas dici, a quibus se abstinere sine piaculo non licet; *voluntarias,* quibus sese adscribendi obligatio nulla est. Unde patet, *Ecclesiam Christi* societatem esse *necessariam.* Eidem enim adhaerendi necessitas ita omnibus incumbit, ut eos, qui renuerint, supplicium maneat aeternum.

est pro diverso earum statu sive *concordiae*, quum nimirum utraque simul esse et vigere potest, sive *conflictus*, cum altera alteri ita adversatur, ut esse simul nequeant. Ergo de huiusmodi etiam societatibus idem statuendum est; proindeque ad alterius in alteram recognoscendam potestatem primum de iisdem agendum est, prout sunt in statu *concordiae*, deinde prout sunt in statu *conflictus*.

QUAESTIO I.

De potestate societatis perfectae in eos, qui tantum per abstractionem extranei sunt, quatenus altera societas, cui sunt devincti, in statu concordiae cum illa est.

29. *Propositio* 1ª. Ex duabus vel pluribus societatibus, quae iisdem membris coalescunt, quatenus in statu concordiae sunt, nulla debet aliam impedire.

Prob. 1. Eiusmodi societates rationem habent plurium obligationum eidem subiecto inhaerentium (28). Atqui ex pluribus obligationibus eidem subiecto inhaerentibus, quatenus in statu concordiae sunt, omnes observari debent, adeoque nulla debet aliam impedire. Ergo etc.

Prob. 2. Status concordiae inter plures societates iisdem membris coalescentes supponit, singularum finem salvum ac liberum esse, neque ab aliis impediri. Atqui salvo fine, nulla praeterea societati licet perfectae est potestas (12). Ergo in statu concordiae societati licet perfectae nulla est adversus aliam potestas; adeoque nulla debet aliam impedire.

30. *Prop.* 2ª. Ex duabus societatibus, quae iisdem membris coalescunt, 1) ea *quae ordine inferior est*, seu quae tuetur bonum ordine inferius, debet, *quatenus talis est*, saltem *negative* ei servire quae ordine est superior : 2) *quatenus vero est collectio personarum, quae simul societatis superioris membra sunt*, debet eidem etiam *positive* servire in iis, quae illa exigit tamquam necessaria fini suo : 3) *societas vero ordine superior* debet inferiori auxilium ferre, quatenus id exigit ratio finis proprii : 4) secus per se non tenetur.

a) *Prob.* 1ª. *pars*. Servire *negative* id intelligitur ut societas non possit finem suum eo usque persequi et extendere, ut impedimento fiat alteri societati : quo posito, propo-

sitionis veritas ita manifesta fit. — Duae societates iisdem membris coalescentes instar sunt duarum obligationum eidem personae inhaerentium (28).—Atqui certissimum est, in eiusmodi obligationibus eam, quae ordine inferior est, seu quae tuetur bonum ordine inferius, ei, quae ordine superior est, servire debere *negative*. Ergo ex duabus societatibus iisdem membris coalescentibus ea, quae ordine inferior est, etc.

b) *Prob.* 2ª. *pars.* Societas inferior, quatenus est collectio personarum, quae simul societatis superioris membra sunt, est *membrum* sive collectio membrorum eiusdem societatis superioris; atqui membra cuiuslibet societatis tenentur eidem servire *positive* in iis, quae illa exigit, tanquam necessaria fini suo, nisi ad ordinem pertineant, qui sit ea quoque superior (8, et 13). Ergo societas inferior, quatenus etc.

c) *Prob.* 3ª. *pars.* In iis quae proprii finis ratione exiguntur, societas alteri societati, licet inferiori, serviendo proprii finis necessitati consulit. Atqui manifestum est, quamlibet societatem finis proprii necessitati consulere debere. Ergo societas, licet superior, in iis, quae proprii finis ratione exiguntur, debet societati inferiori servire.

d) *Prob.* 4ª. *pars.* Naturalem obligationem habere serviendi societati citra rationem finis proprii idem est, ac natura ipsa in inferiore conditione erga illam esse constitutum. Atqui repugnat, quidquid ordine superius est, ideoque societatem ipsam, quae ordine est superior, erga illam, quae ordine inferior est, natura ipsa in inferiore conditione dici constitutam. Ergo repugnat societatem, quae ordine superior est, naturalem obligationem habere serviendi alteri societati, quae ordine inferior est, citra rationem finis proprii.

Prob. 2. Quidquid ordine inferius est, citra legem aut pactum positivum, non potest habere ius proprie dictum ad ea, quae sunt ordinis superioris, quia exiret ultra fines naturae propriae. Ergo societas ordine inferior non potest iure proprio sibi asserere ministerium societatis superioris.

31. *Prop.* 3ª. Ex iis societatibus, quae iisdem membris coalescunt, si quae forte fingi possint inter se pares, neutra alteri vera proprieque dicta obligatione servire ullatenus tenetur, nisi forte ex lege charitatis.

Prob. Nulla ratio sufficiens praedictae obligationis inter huiusmodi societates, excepta charitatis lege, assignari potest; quia, excepta charitatis lege, nulla ratio dependentiae pro omnimoda earum paritate, quae supponitur, inter eas potest reperiri. Ergo ex iis societatibus neutra alteri, excepta lege charitatis, vera proprieque dicta obligatione servire ullatenus tenetur.

32. *Prop.* 4ª. Ex duabus societatibus invicem coordinatis 1) ea, quae subordinata est, debet, quantum in se est, auxilium ferre alteri, quaę princeps est; 2) haec autem, nisi ratio finis proprii aliud exigat, suppetias ferre ei, quae est subordinata, minime tenetur; 3) nisi forte ex motivo charitatis.

Et primo quidem animadvertendum est, societates coordinatas eas a nobis dici, quae ita inter se connexae sunt, ut finis alterius habeat rationem medii ad alterius finem. Qua notione praemissa,

a) *Prob.* 1ª. *pars*, i. e. societatem subordinatam societati principi auxilium ferre debere. Societas subordinata respectu eius, quae princeps est, habet rationem *medii*, quippe quae habet finem habentem rationem medii respectu finis alterius (cf. 7). Atqui medium vi suae naturae debet vires suas dirigere, idest auxilium ferre fini, ad quem ordinatur. Ergo etc. (*).

b) *Prob.* 2ª. *pars*, idest eadem obligatione societatem principem erga subordinatam per se non teneri, nisi aliud exigat ratio finis sui. Cura mediorum eatenus habenda est, quatenus inserviunt fini. Atqui societas subordinata respectu principis habet rationem medii. Ergo eius cura eatenus a societate principe habenda est, quatenus suo fini inservit.

c) *Prob.* 3ª. *pars*, idest ex motivo charitatis fieri posse, ut societas dominans citra necessitatem finis sui servienti societati opem ferre debeat. Officium charitatis est, subsidium ferre aliis, idest curare alienum bonum propter eorum necessitatem citra utilitatem, ac necessitatem propriam. Ergo fieri potest etc.

(*) *Cf. S. Thom. sive Auct. de Regim. Principum lib. I, cap.* 14. *et* 15.

QUAESTIO II.

De statu conflictus.

33. In statu conflictus duae societates esse dicuntur, cum insistere fini suo altera non potest, quin alteram impediat. Iam vero regulae, quibus potestas definitur, quam eiusmodi in casu altera in alteram exercere potest, variae esse debent pro varia societatum confligentium natura, prout illae pares inter se sunt, vel impares. *Pares* inter se dicendae sunt, quae parem finem habent, quaeque proinde non natura, sed numero distinguuntur, cuiusmodi sunt duae societates civiles, seu duae nationes inter se independentes: *impares*, quae imparem finem habent. Ratio est, quia natura societatum ex fine earum adaequato determinatur (7, III). Agemus autem primum de societatibus *imparibus*, deinde de *paribus*.

34. *Propositio* 1ª. Ex duabus societatibus imparibus iisdem membris coalescentibus, quae in conflictum devenerint, ea praevalere debet, quae altioris ordinis finem habet.

Prob. Ex duabus obligationibus eidem subiecto inhaerentibus, quae in conflictum devenerint, ea praevalere debet, quae maius bonum tuetur. Atqui duae vel plures societates iisdem membris coalescentes rationem habent plurium obligationum eidem subiecto inhaerentium (28); ea vero maius bonum tuetur, quae altioris ordinis finem habet. Ergo ex duabus societatibus, quae in conflictum devenerint, ea superare debet, quae altioris ordinis finem habet.

a) *Ob.* Fieri potest, ut ex duabus societatibus simul confligentibus ea vincere debeat, quae finem habet inferioris ordinis: ex. gr. si comoedorum, vel ioculatorum collegium artem suam exerceat prope aedes, ubi collegium litteratorum convenire solet, ii profecto eiici a litteratis minime poterunt, etiamsi horum studia illorum strepitu turbentur. Ergo etc.

R. 1ª. Mutari statum quaestionis; neque enim heic agitur de societatibus iisdem membris coalescentibus.

R. 2ª. *Dist. ant.* Societas, quae finem habet inferioris ordinis, fieri potest ut vincere debeat ratione sui *nego*, ratione altioris cuiuspiam societatis, intra quam ea continetur, et

cuius iura eius socii adversae societati obiiciunt *conc*. Quae quidem distinctio perspicua fit ex eo ipso, quod propositum est, exemplo. In eo enim comoedi litteratis praevalent non qua tales sunt, sed qua *cives;* siquidem ii in eo casu defendunt *libertatem agendi* quaecumque legibus non vetantur; quae quidem libertas non iure comico, sed iure civico ad eos pertinet. Quapropter ille, de quo agitur, conflictus non inter collegia comoedorum et litteratorum, sed inter collegium litteratorum et ipsam societatem civilem exortus est. Cum autem finis societatis civilis altioris sit ordinis, quam finis collegii litteratorum, hinc merito eos superatos esse, nostra ipsa regula docet; quae proinde eiusmodi obiectione confirmatur potius, quam infirmatur.

35. Hinc nonnulla sequuntur corollaria, idest:

I. In conflictu *collegii* cum *societate maiore*, in qua insitum illud est, hanc vincere, illud vinci oportere. Quod ut clarius innotescat, genuina collegii notio a spuriis, quae a nonnullis traduntur, separanda est. Itaque

a) Collegii nomine omnium consensu intelligitur societas quaedam minor et imperfecta respectu alterius societatis, intra quam continetur, quae maior est et perfecta: ex. gr. societas negotiatorum in aliqua societate civili. Unde sequitur,

b) *Collegium* proprie dici societatem, quae sit pars alterius maioris, adeoque ad eandem naturam pertineat, eiusmodi scilicet finem habens, qui in eodem genere versetur, ac finis societatis maioris, ad cumque, ceu pars ad totum, ordinetur (6, *ibique Nota*); proindeque inferioris prae illo ordinis sit. Dixi 1°. *quae sit pars societatis maioris.* Si enim pars esset alterius societatis, nonnisi hac mediante, comparari cum illa posset. Ex. gr. inter collegium Brasilianum negotiatorum et Mexicanam societatem civilem, seu nationem directa institui comparatio nullatenus potest: quia Brasilianum illud negotiatorum collegium est subdivisio quaedam, ut ita dicam, *domestica* societatis civilis, seu nationis Brasilianae, quae respectu extraneorum, sive Mexicani sint, sive alii, est *factum quoddam alienum,* quod curari ab iis non debet : unde fit, ut in praedicta controversia Mexicana societas agere non possit cum Brasilianis, tanquam cum col-

legio negotiatorum, sed tanquam cum Brasiliani imperii civibus, adeoque conflictus aestimandus sit extitisse non inter collegium et societatem maiorem, sed inter duas societates pares. Dixi 2°. *quae ad eandem naturam pertineat;* id enim ex iis, quae modo dicta sunt, consequitur. Etenim pars ad naturam totius pertineat necesse est. Atque hinc patet, cur ex. gr. negotiatorum societas collegium dici debeat eius societatis civilis, intra quam continetur. Etenim eorum finis ad naturam pertinet ipsius societatis civilis, idest ad temporalem felicitatem quaerendam. Cum autem societas civilis totam complectatur felicitatem temporalem, collegium autem negotiatorum, aliaque eiusmodi collegia partem tantum eiusdem curent; hinc etiam patet, cur 3°. dixi, finem collegii respectu finis societatis maioris *inferioris ordinis esse debere*. Quod quidem ex eo maxime comprobatur, quod absurdum foret, collegium, seu societatem minorem esse, cuius finis sit altioris ordinis, societatem autem maiorem, quae ordine inferiorem finem habeat, cum natura, adeoque intrinseca societatum excellentia pro earum fine aestimanda sit (7). Ex quo sequitur

c) Falso ex dominio territorii deduci regulam ad dignoscendum, quaenam inter societates dicenda sit *maior*, quaenam vero *minor*, seu collegium; ita scilicet, ut *maior* dicatur, quae domina sit territorii, *minor*, quae in illius territorio constituta sit. Haec enim regula pervertit genuinam societatis notionem.

Prob. Ad genuinam societatis notionem pertinet, ut elementum praecipuum ac dominans sit finis (7, I), elementum autem serviens sint media (7, II). Atqui in hac regula finis negligitur ac postponitur, ratio autem principatus defertur territorio, quod sua natura habet rationem medii. Ergo in hac regula pervertitur genuina societatis notio.

Ob. Hospitem in territorio alieno dominari contra ius est. Atqui dominaretur, si maioritatis ratio inter plures societates non ex ipso territorio, sed ex earum fine desumenda esset. Ergo etc.

R. 1°. *Transeat maior, nego minorem et suppositum.* Quod enim in nostro themate duo personarum genera finguntur, id falso fingitur. Heic enim agimus de societatibus,

quae iisdem personis coalescunt. Quapropter nulla haec esse potest divisio inter hospites et territorii dominos: eaedem quippe personae sunt, quae totidem officiis adstringuntur, quot sunt societates, quibus nomen dedere; quaeque proinde facultatibus rebusque suis, adeoque etiam territorio suo uti debent ad eadem officia explenda, illudque maxime, quod excellentia et gravitate sua ceteris praestat. Ergo distinctio inter territorii dominos et hospites nonnisi ad fucum faciendum heic ponitur.

R. 2°. *Dist. mai.* Contra ius est hospitem dominari in territorio alieno, in quo activae servitutis ius nullum habet, *conc.*, secus *nego;* et *dist. item minorem:* si maioritatis ratio inter plures societates non ex ipso territorio, sed ex earum fine desumenda esset, fieri posset ut societas hospes in alieno territorio dominaretur simpliciter, *nego;* quatenus pro legitima sua institutione, et pro excellentia et gravitate finis sui ius quoddam activae servitutis in eodem territorio haberet iura quaedam ibidem exercendi, quae sint necessaria ad sui conservationem, *conc.*

II. Alterum corollarium, quod ex tradita regula sequitur, hoc est, reiiciendam esse regulam ab aliis propositam, *in conflictu duarum societatum iisdem membris coalescentium eam vincere debere, quae rationem necessitatis pro se habeat, eam vinci, quae ratione tantum utilitatis fulcitur.*

Prob. In eiusmodi regula aut res ponitur extra quaestionis statum, aut falsum adstruitur. Ergo etc. *Prob. ant.* In eiusmodi regula utilitatis nomine aut necessitas omnis excluditur, quatenus scilicet sine ullo detrimento possit societas aliis mediis uti, aut non: si primum, extra quaestionis statum res ponitur; quandoquidem eo in casu nullus extat conflictus; sin alterum, falsum adstruitur; quandoquidem pari modulo societates impares iudicantur, et ea scilicet, quae altioris ordinis est, et ea, quae inferioris; quo fit, ut bonum natura maius coaequetur bono natura minori, et societas princeps societati subordinatae, adeoque finis mediis: quae sane non modo falsa, verum etiam absurda sunt. Ergo etc. Quae ut clarius elucescant, haec sunt animadvertenda.

a) Quod *utile* dicitur, id vario sensu accipi posse. Potest enim tale appellari quidquid proportionem habet ad ali-

quod bonum consequendum, licet *nulla necessitas* sit eodem utendi, eo quod alia praesto sint media eandem proportionem et efficaciam habentia. Id autem cum tale sit, manifestum est, veram conflictus causam constituere non posse, quandoquidem ratio conflictus, quemadmodum dictum est, necessitatem supponit. At alio etiam sensu utile quidpiam dici solet, nimirum si tale sit, quod, eo omisso, non totus quidem finis, sed eiusdem pars, seu perfectio pereat: unde respectu aliorum mediorum, quae maiorem habent necessitatem, ita ut, iis omissis, non quidem pars, sed finis totus intereat, utile non absurde dicitur. Eiusmodi autem quod est, etsi *respective* utile tantum dici queat, *in se* tamen necessarium vere esse, unusquisque intelligit: unde sequitur

b) Ea, quae necessaria sunt *ad perfectionem* finis altioris ordinis, respectu *ad totum finem* in se spectatum, qui sit ordinis inferioris, falso atque iniuria mere utilia dici, eaque ratione posthaberi. Utrinque enim vera est necessitas: illic quidem ad perfectionem finis altioris ordinis obtinendam, hic ad totum finem quaerendum natura viliorem. Cum autem inter duo bona, quorum aliud excellentius est, aliud vilius, illud praeferendum sit, quod est excellentius, hinc tantum abest, ut ea, quae ad perfectionem pertinent finis ordine altioris, posthabenda sint iis, quae necessaria sunt ad finem ordine inferiorem obtinendum, ut contrarium sit imo statuendum ac tenendum (32): unde patet

c) Societatem perfectam etiam extinguere posse societates minores seu collegia ad se pertinentia, ne ipsa vel levissimum quodpiam detrimentum patiatur; quod quidem a societate civili identidem fieri, experientia ipsa docemur. Et merito sane: tum quia finis collegii est ordine inferior fine societatis perfectae; tum quia collegium respectu societatis perfectae, ad quam pertinet, habet proportionem medii ad finem; cum nihil aliud sit, nisi quoddam adiumentum ad partem obtinendam eius finis, quem societas perfecta integre complectitur (*heic* I, a, b); unde animadvertendum est

d) Si quando collegii, seu societatis minoris necessitas iis praevalere debeat, quae ad perfectionem pertinent societatis maioris, id fieri non ratione societatis minoris, sed ipsius societatis maioris, cum qua specie tenus confligit, vel

saltem societatis cuiusdam utraque excellentioris: ex eo nimirum, quod relate ad illas bonum collegii seu societatis minoris necessarii medii rationem habeat.

36. *Propositio* 2ª. Si quaestio incidat de veritate necessitatis, quam societates inter se confligentes pro re sua asserunt, ius ferendi iudicium ad societatem superiorem, seu quae excellentiorem finem habet, pertinet, reservato quoad inferiorem iure ea, quae sui intersunt, exponendi.

Prob. 1ª. *pars.* Absurdum est boni minoris gratia maius bonum in discrimen vocare. Atqui vocaretur, nisi in re dubia iudicium societati superiori reservatum esset. Ergo etc.

Prob. 2ª. *pars.* Iudicium rectum, nisi libratis hinc inde rationibus, ferri non potest; librari autem rationes non possunt, nisi auditis iis, quorum interest. Ergo etc.

37. De societatibus inter se paribus, quae iisdem membris coalescere dicantur, haec animadvertisse satis sit.

I. Eiusmodi societates, quae iisdem omnino membris constent, ne fingi quidem animo possunt. Distingui enim societates nequeunt, nisi natura aut numero. Atqui duae societates pares iisdem omnino membris coalescentes non distinguuntur natura, ex eo quod, cum pares dicantur, eandem naturam et finem habere debent (31); non distinguuntur autem numero, ex eo quod, cum iisdem omnino membris constent, idem habent suppositum. Ergo etc.

II. Si vero non omnia, sed quaedam tantum membra ad duas societates inter se pares pertinere dicantur, ex. gr. si qui sint, qui ad duarum nationum inter se independentium societatem civilem pertineant, ii, si vi collisionis utriusque societatis contraria agere forte iubeantur, alteri quidem adhaerere, ab altera discedere coguntur, quandoquidem discerpi in contrarias partes non possunt.

§. II.

De potestate, seu de iuribus societatis perfectae in eos, qui vel ex toto, vel ex parte extranei sunt.

38. Extraneos *ex toto* eos esse diximus, qui nulla ex parte ad societatem pertinent, adeoque nullo nexu cum ea

colligantur. Si quae igitur societates eiusmodi inter se sint, de his ita est sentiendum.

I. Duae vel plures eiusmodi societates natura distinctae fingi nequeunt, quae sint *absolute* supremae. Dico absolute supremas, quae sub omni respectu tales sunt, quaeque opponuntur iis, quae dicuntur *in suo tantum ordine* supremae, quae scilicet sub aliquo tantum respectu, idest relate ad ceteras minores societates, quae in suo ordine continentur, supremae sunt, cum tamen relate ad alias societates, quae ad alium ordinem pertinent, inferiores esse possint, prout ordo ille superior sit.

Iam vero duas societates natura distinctas, penitusque inter se extraneas, quae absolute supremae sint, fingi non posse, manifestum est. Etenim natura et excellentia societatum ab earum fine pendet. Atqui inter homines duo fines absolute supremi fingi nequeunt (*). Ergo ne duae quidem societates etc. Quapropter exemplum duarum eiusmodi societatum, quae inter se penitus extraneae sint, inter eas tantum societates haberi potest, quae uno eodemque ordine continentur, quique simul eiusmodi sit, ut admittat diversos hominum coetus eidem fini seorsim insistere: cuiusmodi est ordo politicus, cuius est temporalem felicitatem quaerere, ita tamen, ut admittat plures hominum coetus, id est plures nationes inter se independentes eidem fini seorsim insistere.

II. *In statu concordiae* societatibus extraneis mutuum ius est, ne altera alteri impedimentum ferat: quandoquidem impedimentum sine ratione sufficiente esset ex eo ipso, quod in statu concordiae res est. Auxilium autem invicem sibi ferre stricto iure non tenentur; quia, utpote extraneae, nullo invicem nexu obligantur; nisi tamen charitatis caussa id iubeat, quatenus omnes universalis hominum societatis membra sunt.

III. *In statu conflictus* pro communi utriusque societatis bono atque utilitate dirimenda lis est, nisi forte maioris cuiuspiam societatis bonum aliud exigat; ex. gr. bonum universalis hominum societatis, quae utpote societas maior, vincat necesse est (52).

(*) *Cf. Taparelli Saggio Teoretico di Diritto Naturale n.6. et seqq.*

IV. Si iura dubia sint, communi concordia controversia finienda est; sin minus bello.

V. Fieri potest, ut duae inter se confligant societates ordine supremae, eaedemque invicem extraneae, quarum altera *illegitima* sit, cum tamen *legitimam* se existimet. Eo in casu ab altera, quae vere legitima est, ea iure spernetur; ipsa autem eatenus adversus legitimam societatem praetensa sua iura experietur, quatenus in bona fide maneat.

39. Quod attinet ad *extraneos ex parte,* ii sane ita comparati sunt, ut participes sint conditionis tum eorum, qui *membra* sunt societatis, tum eorum, qui a societate sunt *extranei.* Ergo qua ex parte conditionem habent *membrorum,* iisdem eorum legibus subiiciantur necesse est, eoque pertinent ea, quae dicta sunt toto articulo primo. Qua vero ex parte sunt *extranei,* eorundem conditionem ac leges sequantur oportet. Quapropter in eorum controversiis definiendis, circumstantiae particularis casus, qui proponitur, inspiciendae sunt, ex iisque decernendum, utrum legibus extraneorum, an eorum, qui membra sunt societatis, sint iudicandi.

SECTIO II.

DE ECCLESIAE NATURA, DEQUE POTESTATE, QUAE EXINDE EI COMPETIT.

40. *Syllogismi,* quo totum systema potestatis Ecclesiae concludere aggressi sumus, quatenus *ex primo* eius fonte, idest ex ipsa Ecclesiae natura eadem eruitur, *propositionem maiorem* exposuimus, iuribus nempe expositis, quae *perfecta* quaelibet societas habet primum in suos, deinceps in extraneos. Qua sane in propositione nisi plene nobis Regalistae consentiant, malo eorum fiet. Hoc enim subruto, vel imminuto fundamento, civilis quidem societatis potestas, quam illi exaggerant, subruetur, aut minuetur; quandoquidem aliud, cui innitatur, non habet; potestas autem Ecclesiae mole sua stabit, voluntati scilicet subnixa divini institutoris sui Christi Dei, quo veluti ex altero fonte, primoque longe nobiliore ac firmiore ipsa dimanat. Concedant igitur

adversarii necesse est quidquid hactenus affirmatum, ac demonstratum est de iuribus societatis perfectae, sive erga suos, sive erga extraneos pro diverso gradu, quem erga illos tenet: officii vero nostri unum hoc modo erit, ut 1°. demonstremus Ecclesiam Christi esse societatem perfectam, 2°. aperiamus, quem gradum erga alias societates tenet: quae tamen duo antequam doceantur, ipsius Ecclesiae notio, ex qua illa tamquam corollaria dimanare debent, praemittenda est.

41. Porro Ecclesiam Christi esse *societatem ab ipso Christo Deo ita institutam, ut proprius eiusdem finis sit adeptio vitae aeternae, atque ita proprius, ut extra eam acquiri illa nullatenus possit;* res est inter catholicos divina fide certissima. Quapropter hoc etiam, si catholici esse velint, concedendum a Regalistis est; quod si negent, omnis cum iis abrumpenda esset disputatio; quandoquidem disputari de iuribus cuiuslibet societatis nequit, nisi prius eiusdem natura et praecognita sit, et extra controversiam posita. Essent igitur eo in casu disputationis incapaces: in censu autem habendi essent haereticorum, vel infidelium, quibuscum nulla cum Ecclesia relatio est, nisi quam aut rebelles, aut hostes habent. Si vero catholici sint, quemadmodum de se praedicant, praedictam Ecclesiae notionem admittant necesse est: ea vero admissa, duo haec sponte sequi, 1°. Ecclesiam Christi esse societatem *perfectam,* 2°. relate ad alias esse societatem gradu superiorem atque omnino *supremam*, protinus videbimus.

ARTICULUS PRIMUS

Ecclesia Christi societas est perfecta.

42. Societatem *perfectam* eam esse diximus, quae est in se completa, adeoque media ad suum finem obtinendum sufficientia in semetipsa habet (6, *ibique nota*). Habet autem non modo cui *realiter*, verum etiam cui *virtualiter* eadem insunt; ita scilicet ut ab alia societate ea repetere *proprio iure* possit, neque illa facultatem habeat aut ea negandi, aut suo iudicio rem dirimendi. Contra si qua societas neque *realiter,* neque *virtualiter* media ad finem ob-

tinendum necessaria in se habeat, sed in eorum oeconomia ab alia societate pendere cogatur, cui integrum sit ea negare, vel saltem iudicare, utrum praestari debeant, nec ne, ea profecto *imperfecta* dicenda est. Iam vero quae *perfecta* dicenda sit quaeve *imperfecta*, id duplici ex capite patere potest, vel ex *eius natura*, vel ex *voluntate eius institutoris*, in cuius scilicet potestate fuerit, eandem perfectam constituere; utroque autem sub respectu Ecclesiam Christi societatem perfectam habendam esse, protinus manifestum fiet.

43. *Prop*. 1ª. Ecclesia Christi est societas perfecta natura sua.

Prob. Quae societas natura *suprema* est, neque ad aliam societatem ordinatur, ea natura sua est *perfecta*, omniaque proinde media ad finem consequendum necessaria habere in semetipsa debet. Atqui Ecclesia est societas natura suprema, neque ad aliam societatem ordinatur. Ergo etc.

a) *Prob. maior* quoad utramque partem. *Quoad primam*. Absurdum est, societatem *supremam* alteri *subesse*, ab eaque pendere. Atqui ita esset, si media sufficientia in se eadem non haberet. Ergo etc.

Quoad alteram partem. Quae ad aliam societatem non ordinatur, non potest in oeconomia mediorum ab alia pendere. Ergo in semetipsa habere ea debet, adeoque esse perfecta.

Prob. ant. Ceterae societates respectu eius, quae ad nullam ordinatur, aut ad eandem ordinatae ipsae sunt, aut nexum cum ea nullum habent. Atqui absurdum est, societatem in oeconomia mediorum pendere ab iis, quae ad semetipsam ordinatae sunt, vel quae nullum cum semetipsa nexum habent. Ergo etc.

b) *Prob. min.* Societas natura sua *suprema* ea est, cuius finis est *supremus* (7, III). Atqui Ecclesiae finis est supremus; quandoquidem eius finis est adeptio vitae aeternae (41). Ergo etc.

Prob. altera pars. Ea societas ad aliam non ordinatur, cuius finis ad alium finem non ordinatur. Atqui Ecclesiae finis ad alium finem non ordinatur; imo ceteri omnes ordinantur ad ipsum; quandoquidem ipse est *ultimus* hominum finis. Ergo etc.

44. *Prop.* 2ª. Ecclesia est societas perfecta ex voluntate divini sui Institutoris.

Duplici via haec propositio probari potest, vel absurditatem demonstrando propositionis contradictoriae, vel positiva testimonia afferendo eiusmodi divinae voluntatis. Itaque sectiones duas huius propositionis instituere iuvat, quibus seorsim utrumque demonstretur.

Prop. 2ª. *sectio* 1ª. *Absurdum est asserere, divinum Ecclesiae Institutorem noluisse eandem constituere societatem perfectam.* *Prob.* Absurdum est, Christum Deum Ecclesiae suae sufficienter non providisse. Non providisset autem, nisi talem potestatem eidem dedisset, quae media omnia ad finem consequendum sufficientia complecteretur, quod est societatem *perfectam* constituisse. Ergo etc.

Prob. min. Si media ad finem Ecclesiae consequendum penderent ab alia societate, idest a societate civili, 1°. recta Ecclesiae administratio fere precaria esset; 2°. eiusdem unitas pro varietate consiliorum variarum societatum civilium in perpetuo discrimine versaretur; 3°. per tria priora secula, hodieque etiam in regionibus infidelium Ecclesia ipsa suis hostibus fuisset dedita. Atqui id profecto est, non bene eidem providisse. Ergo, nisi Christus Ecclesiam suam constituisset societatem perfectam, non bene eidem providisset.

45. *Prop.* 2ª. *sectio* 2ª. Constat ex positivis testimoniis, Christum Ecclesiam suam constituisse societatem perfectam.

a) *Prob.* 1. Ex Ss. Litteris. Constat ex iisdem, Christum constituisse in Ecclesia magistratus proprios, eisque dedisse potestatem plenam et perfectam, verbisque expressam amplissimis. Ita scilicet ait Petro Vicario suo, supremoque Ecclesiae capiti *Matth. XVI.* 18. *et* 19: *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: Et tibi dabo claves regni coelorum: Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Nota praesertim illud *quodcumque,* et commata illa *erit ligatum et in coelis; erit solutum et in coelis:* quorum primum formulam continet potestatis omnino amplissimae, omniaque media ad finem consequendum necessaria certissime complectentis: altera au-

tem indicant inter potestatem Petri, et potestatem coelestem nullam aliam esse mediam. Ad omnes autem Apostolos similia prorsus verba dicta leguntur a Christo *Matth. XVIII.*18.

b) *Prob.* 2. Traditione ac testimoniis Patrum, qui statuunt 1°. Plenitudinem principatus ac potestatis ad Ecclesiam regendam in proprio eius magistratu esse, idest in Episcopis. *S. Ign. M. Epist. ad Trall.* « *Quid aliud est Episcopus, quam is, qui omnem principatum, ac potestatem in Ecclesia obtinet?* » 2°. Verum imperium, et civili quidem non modo praestantius, verum etiam perfectius in Ecclesia esse. *S. Greg. Naz. Orat.* 17. *ad Theodos.* « *Te quoque, Imperator, imperio meo et throno lex Christiana subiicit. Imperium enim et nos quoque Episcopi gerimus: addo etiam praestantius et perfectius.* » 3°. Praeter Magistratus Ecclesiae proprios neminem prorsus in Ecclesia quidquam posse, licet ille Rex, aut Imperator sit. *S. Io. Damas. Or.* 1. *et* 2. *de Imag.* ibi « *Ne tentes, Imperator, ecclesiasticum statum dissolvere. Ait enim Apostolus: Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores: non autem dixit Reges.* » Eademque repetit *S. Theodorus Studita*, referente Teocteristo in vita S. Nicetae Cap. 5. apud Bolland. die 3. April. 4°. Subesse imo Ecclesiae in iis, quae pertinent ad eius finem assequendum, etiam supremos societatis civilis magistratus, dummodo ex grege Christi sint; sique hanc subiectionem excutere aliquando tentaverint, id per summam iniuriam facere. *Lucifer Calarit. Lib.* 1. *pro Athanasio ad Constantium Imperat.* « *Sed dicis, isto in loco* (Deut. XVII. 9.) *Deo devotissimus Moyses quomodo Sacerdotum fecit mentionem, sic et Iudicis. Proba te super nos factum iudicem, proba ad hoc te constitutum Imperatorem, ut nos armis tuis ad omnem implendam voluntatem amici tui Diaboli perduceres. Cum probare non possis, quia praeceptum sit tibi non solum non dominari Episcopis; sed et ita eorum obedire statutis, ut si subvertere eorum decreta tentaveris, si fueris in superbia comprehensus, morte mori iussus sis, quo modo dicere poteris, iudicare te posse de Episcopis, quibus nisi obedieris, iam quantum apud Deum, mortis poena fueris mulctatus?* » De qua Lu-

ciferi Calaritani doctrina haec pro Ecclesiae libertate contra Constantium Imperatorem scribentis animadvertendum est, eam ab omnibus eius aetatis Patribus, atque ab aliis deinceps vehementissime esse commendatam: qua de re audisse sufficiat S. Athanasium ita ad eundem Luciferum scribentem: « *Accepimus epistolas et libros religiosissimae ac sanctissimae animae tuae, in quibus perspeximus imaginem Apostolicam... magisterium veritatis... doctrinam verae fidei... traditionem integram Patrum nostrorum, regulam rectam Ecclesiastici ordinis... Videris esse templum Salvatoris, qui in te habitans haec ipsa per te loquitur... Crede mihi, Lucifer, non tu solus haec locutus es, sed Spiritus Sanctus tecum etc.* » Eadem autem haec doctrina et universim et perpetuo ab omnibus Ss. Patribus, ceu tradita ab ipsis Ecclesiae primordiis, proponitur; inter quos memorandus praesertim est *S. Athanas. Epist. ad Monach.*, ubi et eius, et *Hosii*, et Summorum Pontificum *Liberii* ac *Iulii* et aliorum etiam habes testimonia; tum ceteri, quorum plurimi collecti sunt a cl. Roskovany in suo opere inscripto *Monum. Cathol. pro independ. Potest. Eccles.* quibus addere iuvat extra Patrum seriem eiusmodi virum, cuius quidem magis interfuisset aliter loqui, nisi catholicam veritatem perspectam habuisset. Ipse est Francorum Rex Ludovicus VII, qui de Friderico I. Imperatore Ecclesiae potestati reluctante ita sapientissime ad Evangelii sensum scripsit, quemadmodum videre est apud Baronium Ann. 1162. n. 10. « *An ignorat praedictus Imperator, quod Dominus noster Iesus Christus, cum esset in terris, B. Petro, et per eum universis successoribus eius oves suas pascendas commisit? Nonne audivit in Evangelio ab eodem Dei Filio eidem Principi Apostolorum esse dictum:* Simon diligis me? Pasce oves meas? *Numquid sunt hic Francorum Reges, vel aliqui Praelati excepti?* » Quam quidem doctrinae professionem iam antea alii Reges, atque Imperatores piissime fecerant, ex quorum testimoniis notissima haec sunt, *Constantini M.* apud S. Optatum, *Valentiniani I.* apud Sozomenum, *Honorii* in eius epistola ad Arcadium fratrem in caussa S. Io. Chrysostomi, *Valentiniani III.* in Novella de Episcoporum Ordinationibus in Codice Theodosiano, *Theodosii iunioris*

ad Synodum Ephesinam, *Theodorici*, licet hominis haeretici in IV. Syn. Rom. sub Symmacho Papa, *Iustiniani* in Nov. 83. C. 1., *Caroli M.* Can. In memoriam Dist. 19, *Basilii Macedonis* Act. ult. Conc. Constant. IV. an. 869 etc.

c) *Prob.* 3. Definitionibus ecclesiasticis, quas quidem, si catholici sint, detrectare nequeunt Regalistae, et ex quibus 1°. memoranda est Constitutio dogmatica Io. XXII edita X. kal. Nov. anno 1327. adversus Marsilium Patavinum, quae incipit *Licet*, legique potest haud *Raynaldum Continuatorem Baronii an.* 1327. *n.* 27. *et seqq.* Ibi in genere defenditur independentia Ecclesiae a potestate imperatoria, quod est asserere Ecclesiae qualitatem societatis perfectae; in specie autem Ecclesiae ipsi tribuitur, quod maxime proprium est societatis perfectae, ius potestatis coactivae etiam quoad inferendam vim materialem; Marsilius autem, qui haec ipsa negabat, damnatur eam ob rem ut haereticus. 2°. Memoranda est *Bulla Coenae*, quae tot habet auctores et confirmatores, quot sunt summi Pontifices saltem a Martino V, et cuius firmitati nihil detractum est per cessationem confirmationis eiusdem qualibet feria V. in Coena Domini, multoque minus per declamationes Pseudo-catholicorum (*). Imo quoad doctrinam, de qua nunc agimus, nullo unquam tempore detrahi eidem poterit, cum Ecclesiae doctrina sit immutabilis: quandoquidem independentia Ecclesiae a potestate civili, de qua ibidem agitur, ad doctrinam certissime pertinet. 3°. Memorandae sunt Constitutiones omnes Pontificum Romanorum adversus *Placitum regium*, in quibus eadem Ecclesiae independentia, ut doctrina catholica, gravissime asseritur: quarum quidem constitutionum non paucas collegi in Dissertatione de *Placito regio:* heic autem satis sit memorasse Clementis XI. *Const. Nova semper* 29. *Nov.* 1714, et *Const. Accepimus* 11. *Ianuar.* 1715, tum Clem. XIII. *Const. Alias ad Apostolatus* 30. *Ianuar.* 1760, denique Pii IX. *Const. Probe nostis* 9. *Maii* 1853 (**).

(*) *Cf. Zacaria Dissert. inscripta* « Comandi chi può ecc. » *num. VI. et seqq. collatis numeris praecedentibus.*

(**) *Cf. Bellarm. Tract. de Eccl. Lib. De Laicis cap.* 17; *Suarez De Legib. Lib. IV. cap.* 1. *et* 8, *et Defens. Fid. Lib. III. cap.* 6. *et seqq. Zacaria Dissert. inscripta* « Rendete a Cesare ecc. »

46. *Ob.* 1. ex ratione ac iure sociali contra primum fontem probationis. Potestas, quae ad omnia media sufficientia extendatur, asseri Ecclesiae non potest, quin frequens cum societate civili oriatur conflictus: id autem sine magna perturbatione fieri nequit: unde illud axioma *status in statu repugnat*. Ergo etc.

a) R. 1°. Si quid valeret argumentum, valeret ad expoliandam societatem civilem potestate sua, quia absurdum est rationem magis haberi felicitatis temporalis, quae est finis societatis civilis, quam vitae aeternae, quae est finis Ecclesiae.

b) R: 2°. *Conc. mai.* triplici tamen addita conditione: 1°. ut vox illa *frequens* non exaggeretur; 2°. ut non imponatur systemati, quod vitium sit hominum; 3°. ut ad homines quod spectat, magistratui ecclesiastico non imponatur, quod imo sit vitium magistratus civilis; siquidem antiquissima experientia ab ipsa s. Ambrosii aetate perspectum est, *cupidiores esse Imperatores sacerdotio, quam Sacerdotes imperio. S. Ambrosius Epist. ad Soror.*

Ad minorem autem *nego,* addita protinus ratione. Ratio est, quia *perturbatio* ibi tantum esse potest, ubi nulla est ratio *ordinis,* idest si coexistentes societates non modo inter se distinctae sint, verum etiam plane disiunctae, nulloque pacto inter se coordinatae. At Ecclesia, civilisque societas coordinatae inter se sunt, ita ut civilis societas, ceu mox videbimus, sit Ecclesiae subordinata, quemadmodum vita temporalis est subordinata vitae aeternae. Quapropter, si qui oriantur conflictus, ita omnia determinata sunt, ut nulla possit, nisi ex hominum vitio, perturbatio exoriri. Praesto enim sunt a iure ipso naturali regulae, quibus et modus et iudex designatur ad eiusmodi controversiam, quae inter societatem maiorem ac minorem orta sit, facillime definiendam (34 *et seqq.*).

c) Ad confirmationem minoris, idest ad praetensum axioma « *Status in statu repugnat* ».

R. praemissa dictionis *status in statu* declaratione, qua indicantur duae societates iisdem membris coalescentes, quarum utraque *perfecta* sit. Qua posita declaratione, *distinguo.* Status in statu repugnat circa eundem finem *conc.*, circa

finem diversum *subdist.* si agatur de finibus oppositis absolute *conc.* si de oppositis per accidens *iterum dist.* si nullo modo sint coordinati, *transeat,* si sint coordinati, *nego.* Iam vero haec omnia manifesta sunt: 1°. Ecclesiam non eundem finem habere, ac Societas civilis, sed plane diversum; 2°. Earundem fines non esse inter se oppositos, sed mirifice semetipsos adiuvare. Cf. *S. Augustinum Epistola* 5. *alias* 138. *ad Marcellin.,* et inter Protestantes *Leibnitz Epist. censoria contra Puffendorf.* §. 6: et inter Catholicos *Nonnotte Dictionnaire Philosophique sur la Religion verbo Christianisme Artic. VII.;* 3°. Eosdem utriusque fines inter se esse coordinatos, ita ut finis societatis civilis Ecclesiae fini subordinatus sit (*).

47. *Ob.* 2. Plena iurisdictio, quantam oportet esse in societate perfecta, complectitur iura, ut aiunt, *Maiestatica,* et exigit *territorium,* in quo exerceantur. Atqui Ecclesia 1° non habet territorium; 2° non habet iura maiestatica, tum quia est societas spiritualis, proindeque media tantum spiritualia adhibere debet, temporalibus autem abstinere iuxta monitum 2. *Tim.* II. 4; tum quia ex praecepto Institutoris Divini ab omni dominatu debet abhorrere *Luc. XXII.* 25. 26; tum quia libertas in fine spirituali persequendo ex dogmate ipso christiano servanda est; unde arma et potestas Magistratus ecclesiastici nonnisi in exhortationibus, in lacrimis, in patientia esse debent 2. *Tim. IV.* 2, 5: cui loco consonat Ambrosius *Serm. contra Auxent.* ubi ait: « *Dolere potero, potero flere... Talia enim munimenta sunt sacerdotis: aliter nec debeo, nec possum resistere.* » Et Io. Chrys. *Hom. IV. in illud Isaiae: Vidi Dominum,* ubi haec habet: « *Sacerdotis est tantum arguere et audacter et libere admonere; non movere arma, non clypeos usurpare, non vibrare lanceam, neque arcum tendere, nec iacula mittere, sed arguere tantum, et constantiam ostendere* », denique omnes Ecclesiastici Doctores, qui saltem ius gladii Ecclesiae abnuunt. Ergo etc.

(*) *Cf. hac de re Reclamationem Sedis Apostolicae ad Maximilianum Bavariae Ducem an.* 1803. §. Denique praetereunda *apud Roskovany Monum. Cathol. Tom. III. pag.* 649.

R. Praemittens, 1°. voce *Maiestas* (unde iura Maiestatica) intelligi a nobis *imperium*, idest complexionem iurium, quae ad perfectam potestatem pertinent; 2°. voce *Territorium* intelligi heic locum, ubi societas aliqua veluti activae servitutis ius habet exercendi iurisdictionem suam, etiamsi civile illius dominium ad alios pertineat (*cf. quae dicta sunt num.* 35. *l. c. verbo Resp.* 2°): quibus rebus praemissis, *conc. mai.* quoad utramque partem: ad minorem autem ita singillatim respondeo.

a) Ad 1^m, idest Ecclesiam non habere territorium, eo scilicet sensu, qui mox indicatus est, et de quo heic agitur, *nego*. Ius enim exercendae iurisdictionis ineluctabile est corollarium *legitimae* imo *necessariae* existentiae Ecclesiae, quandoquidem obligatio eius fines assequendi omnes obstringit. Posita autem legitima, multoque magis necessaria existentia huiusmodi societatis, quae, ut supra probatum est, et natura sua, et voluntate Divini sui Institutoris independens est et perfecta, carere amplius non potest iis omnibus, quae sint necessaria suae conservationi, cuiusmodi praesertim est ius exercendae iurisdictionis (*cf. totum articulum* 1^m *Sect.* 1^{ae}). Ergo quemadmodum territorium pertinet ad magistratus civiles, ut temporalem curent suae societatis finem, ita quoque pertinet ad Ecclesiam, ut finem suum, qui est supremus, et cui temporalis subordinatus esse debet, persequatur. Cum autem eo Ecclesiae fine nemo hominum sit, qui non adstringatur, ideoque Ecclesia sit societas natura atque institutione sua *catholica*, hinc totus terrarum orbis est territorium Ecclesiae iuxta ipsam divinam voluntatem expressam *Matth. XVI.* 15. 16. confirmatam *Act. V.* 29, et alibi. Unde merito S. Bernardus ad Eugenium III. Summum Pontificem *de Consider. L. III.* c. 1. ait: « *Orbe exeundum est ei, qui forte volet explorare, quae non ad tuam pertinent curam* ». Atque huc pertinet decretum Congregationis S. Officii anno 1644, approbante Innocentio X, editum, quo decreto *schismatica*, et *haeretica* dicta est propositio, qua affirmatum fuerat, Summos Pontifices, cum suas constitutiones in ea loca mittunt, quae temporali aliorum Principum ditioni subiecta sunt, *in territorio alieno* legem ferre:

quam propositionem iterum reprobavit et damnavit Clemens XI. *Const. Accepimus* 11. *Ian.* 1715 (*).

b) Ad 2^m, idest Ecclesiam non habere *iura maiestatica* eo scilicet sensu, qui supra explicatus est, *nego:* quia videlicet Ecclesia, ut mox probavimus, est societas perfecta, adeoque iurium complexio ad eam pertinet, quae propria est societatis perfectae, quae ipsa sunt, ut monuimus, *iura maiestatica*.

Ad probationes autem, quae adductae sunt, respondeo singillatim.

c) Ad 1^am probationem, nimirum Ecclesiam esse *societatem spiritualem*, adeoque *mediis tantum spiritualibus* uti debere, *dist. ant.* quoad utramque partem. Ecclesia est societas spiritualis quoad finem *conc.*, quoad materiam, seu quoad membra, quibus constat, *nego,* siquidem non meris spiritibus, sed hominibus constat. Uti autem debet mediis spiritualibus, idest eiusmodi, quae habeant proportionem ad finem spiritualem obtinendum, *conc.*, quae in se, et natura sua sint tantum spiritualia, *nego*. Qui enim plane non desipiat, novit homines (quorum quippe spiritus coniunctus est corpori) moveri, et corrigi, et coerceri, denique ad finem, licet spiritualem, perduci mediis tantum spiritualibus non posse. Materiam autem, qualitatem, et proportionem *mediorum* a finis necessitate determinandam esse, iam diximus supra (**).

d) Ad 2^am probationem, nimirum Ecclesiam abstinere a temporalibus debere iuxta illud 2. *Tim. II.* 4. *Nemo militans* etc. *dist*. Abstinere debet a temporalibus, quae eam removeant a proprio fine *conc*. quae sint media ad finem *nego*. Qua quidem distinctione ipse textus Apostoli explicandus esset, si esset ad rem. Quod autem non sit ad rem, videri id potest apud Theologos (***).

e) Ad 3^am probationem, nimirum ab omni dominatu Ecclesiae abhorrendum esse iuxta textum *Luc. XXII,* 25, 26, *dist*. Ecclesiae abhorrendum est ab omni *dominatu*, qua-

(*) *Cf. Reclam. Sed. Apost. ad Maximilianum Bavariae Ducem mox citatum apud Roskovány l. cit. pag.* 637. §. Sed tamen.

(**) *Cf. Taparelli Saggio teoretico di Diritto Naturale* §. 1432.

(***) *Cf. Bellarm. de Rom. Pont. Lib. V. Cap. X.* §. *Quinto obiiciunt.*

tenus hac voce intelligitur *spiritus ambitionis*, qua quispiam alios sibi subiicit, ut privatae suae gloriae, privatisque suis commodis inserviat, *conc.* ab omni *dominatu*, quatenus hac voce intelligitur officium regendi, mediaque ad finem consequendum idonea apte administrandi, *nego:* id enim perinde esset ac dicere, Ecclesiam abhorrere debere ab officio suo, quod non modo impium, verum etiam stultum esset. Eadem autem sub distinctione intelligendum esse obiectum textum *Reges gentium* etc. cum ex se patet, tum perspicue etiam confirmatur, si attendas ad caussam historicam illius sententiae et ad similitudinem petitam a Regibus secularibus, et quod gravius est *Gentium* id est *Infidelium*, qui spiritu ambitionis ac superbiae maxime ferebantur (*).

f) Ad 4^{am} probationem, nimirum in fine ecclesiastico persequendo libertatem ex dogmate ipso christiano servandam esse, adeoque potestatem omnem coactivam ab Ecclesia excludendam, respondeo haec antea praemonens: 1°. hanc obiectionem ad duo christianae doctrinae capita referri posse, tum ad illud, quo definitur, libertatem necessariam esse ad veram meriti rationem habendam, adeoque ad finem Ecclesiae obtinendum, tum ad alterum, quo statuitur, libere nullaque vi coactos ad Ecclesiam Christi homines vocandos esse: 2°. neutrum ex illis *potestate coactiva,* de qua sermo est, ullo pacto oppugnari: non, inquam, primum, quia libertas necessaria *ad merendum* intelligitur libertas *a necessitate intrinseca,* non autem libertas *a necessitate extrinseca,* id est *a coactione,* quae sane neque rationem meriti, neque proinde ecclesiastici finis assecutionem impedit; imo, ut ab Ecclesia adhibetur, adiuvat quam maxime, ut docet *S. August. Epist.* 185, *alias* 50, *cap.* 3 *et seqq.:* non alterum, quia illud refertur ad eos, qui Ecclesiae membra nondum per baptismum facti sunt, eiusque potestati subiecti, potestas autem coactiva, de qua agitur, circa baptizatos versatur, quorum pascendi onus cum ad Ecclesiam a Christo delatum sit, ea profecto, ne matris negligentioris reprehensionem incurrat (*Prov. XIII,* 24; *XXIII,* 13, 14), et corri-

(*) *Cf. Bianchi della esterior polizia della Chiesa lib.* 1, *cap.* 1, §. VIII.

gere eos debet, ne pereant, et ne alios perimant, coercere (*).

Quibus praemissis, *dist.* Ex dogmate Christiano, si sermo sit de habilitate ad merendum vel demerendum, libertas a necessitate in fine ecclesiastico persequendo salva esse debet *conc.* libertas simpliciter a coactione *nego.* Sin autem sermo sit de hominibus ad finem ecclesiasticum, hoc est ad aeternam salutem extrinsecus dirigendis, iterum *distinguo:* libertas a coactione salva esse debet quoad infideles ad Ecclesiam vocandos *conc.* quoad baptizatos, qui Ecclesiae curae ac potestati traditi sunt, *nego.*

g) Ad 5um probationem ex 2. *Tim. IV.* 2. 5., quo loco aiunt, universa Ecclesiae arma restringi ad exhortationes et lacrimas, *nego.* 1° enim Apostoli verba nocent magis, quam favent adversariis: sunt enim et generalia et acria « *Argue, increpa, insta opportune, importune* »; unde media omnia, quae necessitas postulet, complectuntur (*Cf. eundem Apostolum* 1 *Cor.* IV, 21); proindeque 2° quatenus *patientiam,* et *doctrinam,* quae in exhortando sit, laudant, id cum distinctione accipiendum est, nimirum si necessitas aut iusta ratio haud postulet severiora media adhiberi *conc.* exclusive *nego.* Cf. S. Augustinum *Ep. ad Bonif. quae est* 185, *alias* 50, ubi sapienter de patientia Ecclesiae propria disserit, simulque docet, eam Christum Dominum imitari etiam in poenis physicis a delinquentibus repetendis. Adde 3° in hisce expendendis textibus rationem etiam temporis, quo scripti sunt, non esse negligendam; cum nimirum Ecclesia exerere potestatis suae plenitudinem non poterat, quandoquidem sub infesto vivebat Ethnicorum imperio.

h) Ad 6um probationem, quae est ex Patribus. *Resp.* 1° in genere iniuria doctrinam Patrum repeti ex pauculis quibusdam locis unius, ulteriusve, iisque a suo contextu et a suis circumstantiis divulsis, cum communis, perpetua ac disertissima eorundem doctrina, eaque Regalistis penitus contraria iam a nobis relata fuerit.

Resp. 2° Ad obiecta loca tum S. Ambrosii, tum S. Ioannis Chrysostomi, ea extra quaestionem nostram excurrere.

(*) *Cf. S. August. Epist.* 185, *alias* 50; *et Epist.* 93, *alias* 40; *praesertim vero L. I. contra Gaudentium cap. XIX.*

Chrysostomus enim agit de Sacerdote V. T. Azaria, contra quem ait ipse: « *Rex* (Ozias) *arma movebat, et clypeos, et hastas, suamque intentabat potentiam* »; Ambrosius autem de se ipso, quem Imperator Valentinianus armis et gothis militibus oppugnabat. Uterque igitur agit non modo de casu extraordinario, verum etiam de bello et seditione cienda, quod longissime abest a quaestione nostra. Profecto etiam S. Thomas Cantuariensis diserte affirmavit: *Ecclesiam castrorum more minime esse defendendam:* at relate ad Ecclesiae ipsius independentiam, plenamque eiusdem potestatem ad finem suum consequendum, quae fortissimi illius Martyris sententia fuerit, nemo non novit. Sunt igitur duo haec penitus diversa, Ecclesiam esse societatem perfectam, eandemque honeste posse seditionem adversus proprios Reges ciere. Ratio discriminis est: 1°. quia lege ecclesiastica etiam a caussa sanguinis Episcopi removentur; multo magis a bello gerendo: 2°. quia, etiamsi ratiocinando velit quispiam concludere, etiam hanc potestatem in perfectae societatis iuribus contineri, nihilominus manifestum est, eiusdem exercitium in Ecclesia honestum haberi non posse; quandoquidem gravissimorum malorum caussa esset et fons. Atque haec quidem mea sententia est, quidquid contra dicat *Bianchi della Podestà indiretta della Chiesa T.* 1. *pag.* 44. *et seqq. et pag.* 529 *et* 557 (*).

i) Ad 7^{am} probationem, nimirum saltem *ius gladii* ab omnibus ecclesiasticis Doctoribus Ecclesiae abiudicari.

R. 1°. Quoad auctoritatem omnium, ut aiunt, ecclesiasticorum Doctorum, eam falso asseri, cum Doctores ecclesiastici non desint, qui gravissimam etiam censuram ferant adversus eos, qui eiusmodi potestatem Summo Pontifici, et Concilio generali denegant.

R. 2°. Quoad rem ipsam, de qua agitur, immediatum exercitium eiusmodi potestatis lege tantum ecclesiastica et quidem inferioribus Ecclesiae magistratibus interdictum esse. Quod vero pertinet ad supremum Ecclesiae magistratum, idest Romanum Pontificem, et Concilium generale, quorum potestas nulla ecclesiastica lege restringi potest, haec animadvertenda sunt:

(*) *Cf. Taparelli, Saggio teoretico di Diritto naturale, Nota CXVI.*

a) Hoc sine ullo dubio tenendum esse, saltem *mediate* eiusmodi ius penes eos esse; ita scilicet, ut a catholico Principe ius habeant exigendi, ut ea poena in delinquentes animadvertat, si Ecclesiae necessitas id postulet. Ecclesiae enim non esset satis provisum, nisi ad ea, quae necessaria sibi sunt, verum ius eidem datum esset:

b) Quod vero immediate, cum necessitas postulat, a supremo Ecclesiae magistratu tale ius exerceri non possit, nulla ratione id probari; cum ex iure naturali, ex eo quod Ecclesia societas perfecta est, contrarium imo demonstretur: ex iure autem positivo divino nullus afferri possit locus, quo id vere interdictum fuerit; quandoquidem ineptissima sunt, quae obiiciuntur sive ex *Matth. XXVI.* 52., ubi Christus Petro, *homini eo temporis privato,* ait: *Converte gladium tuum in locum suum etc.;* sive ex 2. *Cor. X.* 4., ubi Paulus vim potestatis suae denuntians scribit: *Arma militiae nostrae non carnalia* (id est non fragilia, ac futilia) *sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum:* parique ineptia vilescit argumentum ex mansuetudine Ecclesiae deductum, quasi vero mansuetudinis virtuti opponatur necessariae iustitiae administratio: unum vero illud, quod paullo solidius opponi potest *ex perpetuo non usu,* ad iustam probationis vim non assurgit, cum definiri nequeat, an ex potestatis, an potius ex opportunitatis defectu id evenerit, sive quia *ex usu* gravius damnum timeretur, sive quia praesto esset ministerium societatis civilis (*).

ARTICULUS SECUNDUS

De gradu, quem habet Ecclesia Christi, respectu ceterarum societatum.

48. Ut haec cum ceteris societatibus Ecclesiae comparatio rite instituatur, animadvertendum in primis est, legitimas omnes societates duabus, quae maximae sunt, contineri, Ecclesia ipsa, ac Societate civili.

Prob. Cuiuslibet societatis ratio inde dimanat, ut homines, collatis viribus, quaedam, quae ad suum bonum perti-

(*) Cf. quae de hoc argumento, licet in alia materia, habet *Pallavicini in historia Concilii Tridentini Lib.* 22. *cap.* 9. *num.* 8.

nent, acquirant, quae soli non possent (6). At quaecumque pertinent ad hominum bonum, ea vel aeterna, vel temporali felicitate continentur, quarum alteram Ecclesia complectitur, alteram societas civilis. Ergo quaelibet societas vel in Ecclesia ipsa, vel in Societate civili continetur.

Quapropter societates omnes, respectu habito ad Ecclesiam, bifariam dividi possunt, in *omogeneas*, et in *heterogeneas*. Porro *omogeneae* dicendae sunt, quae ipsius Ecclesiae sunt partes, sive totum Ecclesiae finem sub eiusdem regimine complectantur, sive partem; ex. gr. Ordo aliquis religiosus etc. *Heterogeneae* vero sunt appellandae, quae partes sunt societatis civilis, quandoquidem finem ab Ecclesiae fine diversum sequuntur: cuiusmodi ex. gr. sunt Collegia militum, negotiatorum, etc.

49. Hinc tria dimanant corollaria:

I. Ecclesiam respectu societatum, quae sibi sunt *omogeneae*, sine ulla controversia ita habendam esse superiorem, ut illae plene eidem subsint: quandoquidem *partes* eiusdem sunt.

II. Respectu earum, quae sibi sint *heterogeneae*, controversiam omnem, quae de iisdem fieri possit, ad controversiam revocari, quae est de maioritate Ecclesiae prae societate civili: quandoquidem eiusmodi societates ipsius societatis civilis sunt partes.

III. Quod ex praedictis corollariis sequitur, totam quaestionem, quae in hoc articulo instituta est, de maioritate Ecclesiae respectu ceterarum omnium societatum, in hanc unam recidere, utrum Ecclesia prae societate civili societas maior, seu superior habenda sit. Quod quidem ut distinctius definiatur, triplex animadvertenda est *maioritatis* ratio, tum natura societatis civilis penitus est cognoscenda, eiusque, respectu Ecclesiae, variae species distinguendae sunt.

50. Et primo quidem triplici modo concipi potest primatus alicuius societatis prae alia: 1°. Ut seiunctus sit ab omni iurisdictione in societatem inferiorem; ita ut iniuriam haec faciat societati praestantiori, si eam utcumque laedat, sed coerceri ab eadem auctoritate propria non possit: atque haec quidem primatus ratio in suprema societate, quae aliam, ad quam confugiat, non habet, aut admitti non potest, aut si

admittenda esset, ad extraordinariam quandam Dei providentiam pertineret, qui positive id forte iusserit. 2°. Ut, hypothesi plane contraria, tanta cum iurisdictione sit coniunctus, ut societas inferior *absolute* et *directe* ei subsit, quae dicitur societas maior ac superior; ita ut directe ad societatem maiorem pertineat inferiorem rebus in omnibus regere atque ordinare; atque hic modus in eas tantum inferiores societates convenire potest, quae sint omogeneae. 3°. Ut indirectae iurisdictioni sit coniunctus, ita ut societas maior nonnisi *per accidens* in societatem inferiorem potestatem suam exercere queat, cum scilicet proprii finis, propriaeve conservationis necessitas id exigit. Hic autem modus societati maiori erga eas societates convenit, quae sint heterogeneae. Quae quidem omnia per se clara clariora etiam fient ex iis, quae dicentur.

51. Iam vero ad genuinam quod pertinet *societatis civilis* naturam, quatenus ea talis est, et a societate ecclesiastica distinguitur, haec sunt animadvertenda:

I. Non ita est definienda, ut munus proprium civilis societatis sit omnium civium iura moderari ac pro viribus tueri. In hac enim definitione non unum vitium est, nimirum:

a) Verba *omnium civium iura* ita indefinite expressa locum dare possunt maiori potestatis civilis amplificationi, quam eius ferat natura. *Iura* enim indefinite sumpta omnia complectuntur; adeoque extendi possunt ad *iura religiosa;* unde clandestina quaedam via sternitur pravae illi consuetudini, quam dicunt *Appellationem ab abusu,* cum scilicet in re ecclesiastica si quis se ab ecclesiastico magistratu laesum existimaverit, ad potestatem civilem confugit, ut iura sua adversus Ecclesiam tueatur. Id autem exaggerare est potestatem civilem ultra eius naturam, si tamen eam accipimus, quatenus talis est, et a societate Ecclesiastica distinguitur. Distinctio enim aut nulla est, aut in eo est, ut ea, quae ad religionem pertinent, ac proinde etiam iudicium de iuribus religiosis, societatis ecclesiasticae propria sint. *(Cf. Artic. praecedentem, praesertim num.* 43 *et seq.)*

b) E contrario verba *iura moderari ac tueri* sine alio additamento restringunt plus quam aequum est, potestatem

civilem. Ut enim verba *iura moderari* benigne accipiamus, nihil aliud significari per ea potest, nisi *potestas iudiciaria*, eaque pars potestatis legiferae, qua vera civium iura determinantur. Quod autem additur verbum *tueri*, ea pars additur potestatis coactivae, quae est in civium iuribus defendendis: quod vero nihil aliud adiicitur, id indicat, totam civilis societatis potestatem sitam esse *in securitate servanda*, ut ius unicuique suum reddatur. Id autem falsum est. Homines enim per societatem civilem non securitatem tantum et tranquillitatem quaerunt, sed temporalem, quanta obtineri potest, felicitatem. Secus enim, 1°. Societas civilis *non esset in genere suo suprema*, adeoque non esset perfecta, quia totum genus felicitatis temporalis non complecteretur, sed tantum *partem:* unde alia societas totum genus complectens fingi posset, cuius societas civilis esset *merum collegium;* 2°. Societas europaea idem deberet suis membris quod Societas nomadum suis: id autem est absurdum. (*Cf. supra num.* 10.)

II. Neque ita societatis civilis natura definienda est, ut ad eiusdem munus ita simpliciter pertineat felicitatem temporalem quaerere, ut *passive*, ut aiunt, se habere debeat ad ea omnia, quae ad religionem ac probitatem pertinent; quod quidem nonnulli formula asperiore quidem, sed simpliciore atque aperta exprimunt aientes: *legem oportere esse atheam.* Etenim ad ipsam pertinet felicitatem temporalem religionis ac probitatis curam haberi, ita ut, hisce neglectis, illa quoque evertatur: quandoquidem, religione ac probitate exulante, ipsa quoque humana fides, qua societatis foedus colligatur, exulet necesse est (*). Hanc vero probitatis ac religionis curam a societate civili iuxta ordinem a Deo constitutum habendam esse, id est dependenter ab Ecclesia, cui directe talis cura commissa fuit, nemo non sentit: secus enim potestas illa esset *inordinata*, adeoque illegitima, quaeque facile a verae probitatis ac religionis notione, ac limitibus aberrare posset, atque ita societatem confunderet potius ac turbaret, quam tueretur.

III. Quod ex praedictis dimanat, ita est de genuina so-

(*) *Cf. S. Thom. sive Auctor. De Regim. Princ. Lib.* 1, *cap. XIV;* et quae infra a nobis dicentur *num.* 61.

cietatis civilis natura sentiendum, *ut directe quidem sola felicitatis temporalis cura ad eam pertineat, indirecte autem etiam probitatis ac religionis defendendae officium;* ita tamen ut *dependenter ab Ecclesia id fiat, quippe quae ea societas est, cui religionis ac probitatis cura directe est demandata* (*).

52. Denique societatis civilis triplex species respectu Ecclesiae est distinguenda. Quaedam enim ab eius potestate fere omnino sunt exemptae; eaeque sunt societates civiles *infidelium:* quaedam Ecclesiae potestati subiiciuntur quidem,

(*) R. D. Wardius in recensione huius opusculi (*The Dublin Review New Series, num.* 1. *July* 1863) ait, hac posita theoria, difficile intelligi posse, qua ratione ecclesiastica a civili societate distinguatur. *Ex ea enim sequitur*, ait ipse, *ultimum propriumque finem Societatis civilis non temporalem, sed spiritualem esse felicitatem.* Quae doctissimi viri censura ab Auctoris fortasse breviloquentia orta est. At, si penitius res inspiciatur, haud difficile erit deprehendere, quod licet concedi possit inde consequi, finem *ultimum* societatis civilis esse oportere *felicitatem spiritualem,* cui nempe *tota vita humana* tamquam ultimo fini ordinata est, haud tamen pariter inde sequitur, quod ea sit etiam *proprius* eiusdem societatis civilis finis. Ut enim esset *proprius*, necesse foret, ut *directe* cura spiritualis felicitatis societati civili demandata esset; itemque, ut arbitrio proprio, et a quavis alia societate independenti curare, eam posset. Sed contraria dicta sunt in Auctoris theoria; unde etiam patet civilem ab ecclesiastica societate apprime in eadem distingui. Ut enim Wardius ipse animadvertit, admonitum ab Auctore iam fuerat (*num.* 7), *naturam seu essentiam societatum ex fine earum adaequato determinari.* Ex quo sequitur iuxta praedictam theoriam, naturam societatis civilis non inde simpliciter determinandam esse, quod *ultimus* eius finis spiritualis felicitas dici possit, sed maxime ex eius fine *proximo ac directo*, qui est in *temporali* felicitate curanda, tum etiam ex fine *ultimo*, sed non, ut dixi, *simpliciter*, verum *adaequate*, adeoque una cum praedictis conditionibus, quod scilicet *indirecte*, ac *dependenter ab Ecclesia* eius cura in societatem civilem recidat. Hac vero ratione eius natura determinata, palam est, ab Ecclesia eandem distingui: plenissima enim inter eas apparet (quae cuiuslibet *distinctionis* auctrix est) oppositio. Quod enim in societate civili est *indirectum et dependens,* id *directum et independens* est in Ecclesia: contra autem qui *proprius est ac directus* societatis civilis finis, h. e. temporalis felicitas, *nonnisi indirecte*, prout scilicet necessitas finis spiritualis exigit, incidere sub potestatem Ecclesiae potest. Simili porro ratione videri possunt ab Auctore de Regimine Principum distingui Collegium sive societatem artificum navium, et Collegium sive societatem nautarum (L. I, c. 14), licet finis *ultimus* illorum sit *navigatio*, quae *proprius* nautarum est finis.

sed ab ea sunt separatae, eaeque sunt schismaticorum atque haereticorum respublicae: quaedam autem cum Ecclesia coniunctae rite sunt, eique, ut par est, obediunt; eaeque sunt civiles catholicorum societates.

De hisce omnibus dicendum est singillatim, ut non modo Ecclesiae prae societate civili maioritas in genere et fere in abstracto appareat, verum etiam eiusdem vis ac iura, quousque nimirum legitime protendi possint, perspecta, ac rite definita habeantur.

§. 1.

De primatu Ecclesiae eiusque potestate quoad societates civiles catholicorum.

53. Civilis Catholicorum Societas ea re a ceteris distinguitur, quod eadem illa constet hominum multitudine, unde Ecclesia ipsa Christi, idest catholica coalescit: quo fit ut eiusmodi societas reale quoddam corpus ab Ecclesia diversum ac separatum nullo modo constituat, sed ambae simul rationem habeant duplicis foederis atque obligationis eidem multitudini inhaerentis, qua illa scilicet sub imperio magistratus civilis felicitati temporali quaerendae vires intendit, sub imperio autem Ecclesiae adeptioni vitae aeternae; atque ita quidem, ut fateatur, hanc vitam aeternam ultimum ac supremum esse finem, cui felicitas ac vita tota temporalis subsit, quandoquidem nisi haec fide teneat, neque ad catholicam Ecclesiam pertinere, neque catholico uti nomine ullatenus posset. Civilis igitur catholicorum societatis ea est vera notio, ut sit hominum coetus, qui temporali felicitati quaerendae ita student, ut profiteantur, eam subesse debere studio felicitatis aeternae, quam sub Ecclesiae Catholicae regimine obtineri tantum posse, credunt. Hisce autem praenotatis, facile erit cognoscere, utrum Ecclesia prae civili Catholicorum societate primatu polleat, et quatenus eiusmodi primatus iura protendantur, ea praesertim si in memoriam redeant, quae de societatibus iisdem membris coalescentibus in genere disputavimus (28. *et seqq.*).

54. *Propositio* 1ª. In rebus temporalibus, et sub respectu finis temporalis Ecclesia nihil potest in societate civili.

I. *Prob. ratione.* Quidquid fit in rebus temporalibus, sub respectu finis temporalis, est praeter finem Ecclesiae. Atqui generalis regula est, societates nihil posse in iis, quae sunt extra finem proprium (12). Ergo etc. (*Cf. etiam quae dicta sunt n.* 29).

II. *Prob. ipsa Ecclesiae doctrina.* S. Gelasius Papa ad Anastas. Imper. « *Quantum ad ordinem pertinet publicae* (civilis) *disciplinae, cognoscentes, imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites.* » Et S. Gregorius II. Epist. 2. ad Leonem Isaurum: « *Quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi, sic neque Imperator etc.* » Tum Conc. Later. IV. Cap. 42: « *Sicut volumus, ut iura clericorum non usurpent laici, ita velle debemus, ne clerici iura sibi vindicent laicorum. Quocirca universis clericis interdicimus, ne quis praetextu ecclesiasticae libertatis suam de cetero iurisdictionem extendat in praeiudicium iustitiae secularis, sed contentus existat constitutionibus scriptis, et consuetudinibus hactenus approbatis, ut quae sunt Caesaris reddantur Caesari, et quae sunt Dei Deo recta distributione reddantur.* » Omitto cetera, cum in re versemur, de qua nulla est controversia.

Hinc autem haec consequuntur:

a) Societatem civilem licet ex catholicis conflata sit, in rebus temporalibus respectu finis temporalis non esse Ecclesiae subordinatam, sed plane esse independentem.

b) Sententias Patrum, quae independentiam societatis civilis respectu Ecclesiae admittunt, ad terminos huius propositionis esse referendas.

55. *Propositio* 2ª. Quibus in rebus sive per se, sive per accidens ratio seu necessitas concurrit finis spiritualis, idest Ecclesiae, in iis, licet temporales sint, potestatem suam Ecclesia iure exserit, civilis autem societas eidem cedere debet.

I. *Prob. ratione.* Quibus in rebus finis alicuius societatis fini alterius postponi debet, eadem ratione illa debet alteri cedere. Atqui ex doctrina, quae inter catholicos extra controversiam est, in iis rebus, in quibus finis societatis

civilis, hoc est temporalis felicitas sive per se sive per accidens confligit cum fine Ecclesiae, id est cum salute spirituali vitaque aeterna, felicitas temporalis, seu finis societatis civilis saluti spirituali, aeternaeque vitae, hoc est fini Ecclesiae postponi debet (33). Ergo etc. (*Cf. etiam quae dicta sunt num.* 34).

II. *Prob. auctoritate divina* ex Ss. Litteris *Act. V.* 28. 29. « *Praecipiendo praecepimus vobis, ne doceretis in nomine isto, et ecce replestis Ierusalem doctrina vestra, et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius. Respondens autem Petrus et Apostoli dixerunt: Oportet obedire Deo magis quam hominibus.* » Quo in loco animadvertenda haec sunt. 1°. Sacerdotes, et seniores, qui erant magistratus nationis iudaicae, caussam obiecisse boni temporalis, et tranquillitatis publicae « *Vultis inducere super nos sanguinem hominis istius:* » 2°. contra eiusmodi bonum temporale, ac publicam tranquillitatem stetisse bonum spirituale, cuiusmodi fuit praedicatio nominis Iesu Christi, et constitutio Ecclesiae: 3°. in hoc conflictu, Spiritum sanctum per Apostolos aperte edixisse, posthabendam esse tranquillitatem publicam, magisque Deo obediendum esse, quam hominibus. Eodem hoc argumento utitur *Clemens XI. Const. Accepimus* 11. *Ian.* 1715. Deinde idem adstruunt omnia illa Scripturae loca, quae felicitatem temporalem etiam quoad ea, quae magis necessaria sunt (*Matth. VI.* 31. 32. 33) licet simul carissima (*Matth. V.* 29. 30; *Luc. XIV.* 26), denique totam simul complexive sumptam (*Matth. XVI.* 26) posthaberi praecipiunt vitae aeternae idest Ecclesiae fini.

III. *Confirm. testimoniis et auctoritate Patrum,* quorum unanimis doctrina est, ita finem societatis civilis, eiusque imperium Ecclesiae subesse debere, quemadmodum corpus subest animae. S. Io. Chrysostomus *in* 2. *Cor. Hom. XV:* « *At vero heic aliud quoque imperii genus est, ac civili quidem imperio sublimius. Ecquod illud est? Quod in Ecclesia viget, cuius etiam Paulus mentionem facit, cum ait: Obedite praepositis vestris et subiacete eis: hoc enim imperium tanto civili excellentius est, quanto caelum terra, et quantum inter corpus et animam discriminis est, tantum item ab illo hoc distat.* » S. Gregorius Nazianzenus *Orat. XVII:*

« *Submittamus nos tum Deo, tum invicem, tum iis, qui in terra imperant. Deo quidem omnibus de caussis, invicem pro charitatis foedere, principibus propter ordinem.... At vos quoque (Principes et Praefecti) imperio meo ac throno lex Christi subiecit. Imperium enim et nos gerimus; addo et praestantius et perfectius, si quidem aequum videatur spiritum carni, caelestia terrenis cedere.* » S. Isidorus Pelusiota *Lib.* 3. *Ep.* 449: « *Ex sacerdotio et regno rerum administratio confecta est. Quamvis enim permagna utriusque differentia sit (illud enim velut anima est, hoc velut corpus), ad unum tamen et eundem finem tendunt, hoc est ad hominum salutem.* » Ivo Carnutensis *ad Henricum Regem Angliae Ep.* 51: « *Quia res omnes non aliter bene administrantur, nisi cum regnum et sacerdotium in unum convenerint studium. Celsitudinem vestram obsecrando monemus, quatenus in regno vobis commisso verbum Dei currere permittatis, et regnum terrenum caelesti regno, quod Ecclesiae commissum est, subditum esse debere, semper cogitetis. Sicut enim sensus animalis subditus debet esse rationi, ita potestas terrena subdita esse debet ecclesiastico regimini. Et quantum valet corpus, nisi regatur ab anima, tantum valet terrena potestas, nisi informetur et regatur ecclesiastica disciplina.* » Hugo a S. Victore *L.* 2. *de Sacr. p.* 2. *c.* 4: « *Terrena potestas caput habet regem; spiritualis potestas habet summum Pontificem. Ad potestatem Regis pertinent, quae terrena sunt, et ad terrenam vitam facta omnia. Ad potestatem summi Pontificis pertinent, quae spiritualia sunt, et vitae spirituali attributa universa. Quanto autem vita spiritualis dignior est, quam terrena, et spiritus, quam corpus, tanto spiritualis potestas terrenam, sive saecularem potestatem honore ac dignitate praecedit.* » Innocentius III. *in Cap. Solitae de Maiorit. et obed.* « *Non negamus, quia praecellat Imperator in temporalibus illis dumtaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia: sed Pontifex in spiritualibus antecellit, quae tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima praefertur corpori* » (Legesis totum illud caput, cuius haec summa est: *Imperium non praeest sacerdotio, sed subest*). S. Thomas 2. 2. *q.* 60. *art.* 6. *ad* 3: « *Ad tertium dicendum, quod potestas*

saecularis subditur spirituali, sicut corpus animae: et ideo non est usurpatum iudicium etc. » Eadem vero habet S. Bonaventura *L. de Eccl. Hierarch. p.* 2, et ut alios omittamus, quorum auctoritas magna in Ecclesia esse solet, eadem habent Theologi Concilii Constantiensis, quorum haec verba sunt in condemnatione diffusa articulorum Wicleffi, quae edita est *in Append. Conc. Constant. n. XXIII. ad Art. XII:* « *Nec licet tali Clerico appellare a iudice et foro ecclesiastico ad iudicem et forum temporale, cum hoc sit appellare a maiore ad minus. Sicut enim se habet spiritus ad corpus, et regio spiritus ad regionem corporis, sic proportionabiliter iudex ecclesiasticus ad iudicem terrenum, et forum ecclesiasticum ad temporale; sicut dicit Ven. Hugo de S. Victore, et Alexander de Hales, et alii Doctores, et sacri Canones.* » Ex quibus testimoniis patet, doctrinam hanc de subiectione potestatis civilis potestati ecclesiasticae fuisse semper in Ecclesia non modo perpetuam, verum etiam ita uniformem, ut fere iisdem verbis semper expressa fuerit.

Hisce autem addi debent ea omnia propemodum infinita, quibus ab Ecclesiae PP. perpetuo docemur bona temporalia, quae sunt finis societatis civilis, esse ordinata ad vitam aeternam, quae est finis Ecclesiae, adeoque eidem servire debere (*).

56. *Ob.* 1. « *Ecclesia,* inquit S. Optatus *L.* 3. *de Schism. Donatistarum, est in Republica, non Respublica in Ecclesia.* » Ergo Ecclesia a Republica, non Respublica ab Ecclesia pendere debet. *Confirmatur*, inquit Ludovicus Du Pin *in adnot. ad hunc locum;* quia imperium Romanum ante Ecclesiam erat iam constitutum; proindeque non imperium in Ecclesia, sed Ecclesia in ipso constituta est; imo pars eiusdem, ut alii addunt apud Balduinum in hunc ipsum locum, esse deprehenditur, cum in eius veluti sinu coalescat: ex quibus verbis triplex confici potest argumentum:

1°. Antequam Ecclesia constitueretur, imperium iusta libertatis possessione fruebatur. Atqui iniustum est, quempiam

(*) *Cf. Suarez Defensio Fid. Lib.* 3. *Cap. V. num.* 2; *et de Legib. Lib. IV. Cap. IX; Bianchi Della esterior polizia della Chiesa Lib. I. Cap. I.* §. *VI; Zaccaria Dissert. inscripta* « Rendete a Cesare ecc. » *Num. XIII. a dimidio.*

a iusta possessione deturbari. Ergo iniustum est, neque proinde potest asseri, Ecclesiam a libertatis possessione imperium deturbasse, sibique illud subiecisse.

2°. Invidiosum est, et eiusmodi, quod arceat homines ab ingressu Ecclesiae, eos per eundem illum ingressum iuribus suis mulctari. Atqui, posita doctrina dependentiae Imperii ab Ecclesia, Imperium ad ipsam accedendo suis iuribus mulctatum fuisset. Ergo haec doctrina invidiosa est, et eiusmodi, quae arceat homines ab ingressu Ecclesiae; adeoque Ecclesiae ipsi perniciosa.

3°. Non totum parti, sed pars toti servire debet. Atqui Ecclesia saltem distributim sumpta est pars societatis civilis, in cuius sinu coalescit. Ergo non societas civilis Ecclesiae, sed Ecclesia societati civili servire debet.

R. scorsim 1°. auctoritati S. Optati, 2°. argumento, quod ab eius sententia desumitur, eiusque confirmationibus.

57. Ad S. Optatum quod pertinet

R. 1°. perperam eius auctoritatem ab adversariis obiici, cum eius mens non ita sit exponenda, ut ab unanimi ceterorum Patrum suique ipsius doctrina dissentiat. Et re quidem vera Optatus tum in eo ipso libro, tum etiam in libro I. calumniam a Donatistis illatam removere studet, qua illi asserebant, Catholicos subiicere Ecclesiam Imperatori voluisse: unde fit, ut Donatistae inferendo, Optatus calumniam repellendo, manifeste indicent communem et catholicorum et schismaticorum fuisse sententiam, Ecclesiam societati civili subiici nullatenus posse.

R. 2°. directe nonnulla praemittens, unde totus contextus, ex eoque vera Optati sententia appareat. Narrat Parmeniano Optatus, Constantem Imperatorem eleemosynas misisse in pauperes erogandas, eique Donatum (quo ex homine Donatistae nomen acceperunt) maledicta pro gratiis retulisse. Quod factum graviter ipse reprehendens sic ait: « Iam tunc » meditabatur (Donatus) potestatibus et regibus iniuriam fa- » cere, pro quibus, si apostolum audiret, quotidie rogare » debuerat. Sic enim docet B. apostolus Paulus: Rogate pro » Regibus, et Potestatibus, ut tranquillam vitam cum ipsis » agamus. Non enim Respublica est in Ecclesia, sed Eccle- » sia in Republica est, *idest in imperio Romano... ubi et*

» *sacerdotia sancta sunt, et pudicitia, et virginitas, quae in* » *barbaris gentibus non sunt, et si essent, tuta esse non* » *possent.* » Quo in loco quatuor haec animadvertenda sunt, ut vera Optati sententia deprehendatur: 1°. Voce *Respublica* non esse intelligendam *societatem civilem* in genere, qualis ea est natura sua, sed *Imperium Romanum*, quale nempe tunc erat ob peculiares suas circumstantias: nam ait *Ecclesia in republica est*, idest *in imperio Romano;* ac deinceps hanc suam Rempublicam distinguit a *societatibus barbarorum*, quae tamen verae societates civiles sunt: 2°. Eo sensu *Ecclesiam in imperio Romano esse*, ab Optato dici, quo sensu eandem in barbaris esse gentibus dici nequeat: nam ait: *Ecclesia in Republica est, idest in imperio Romano, ubi Sacerdotia sancta sunt, et pudicitia, et virginitas, quae in barbaris gentibus non sunt, et si essent, tuta esse non possent:* 3°. rationem, cur ait, Ecclesiam esse in imperio Romano, negat autem esse in barbaris gentibus, hanc esse, quod Christiana religio, seu facultas eam libere pleneque exercendi in illo *tuta erat*, in barbaris autem gentibus nullo modo, quod item est manifestum ex verbis mox citatis: 4°. Verbum *Esse* ab Optato heic accipi non ad indicandam *physicam existentiam*, sed potius *civilem*, idest eiusmodi, quae civilium legum auctoritate contra iniuriosas adversariorum aggressiones protegatur: negat enim, religionem christianam aetate sua *in barbaris gentibus fuisse*, cum tamen extitisse inter eas physice, certissimum sit; et continuo apertius locutus ait, idcirco dici non posse *Ecclesiam esse in barbaris gentibus*, etiamsi in iis et christiana sacerdotia, et christiana pudicitia ac virginitas essent; eo quod tuta inter eas esse eadem non possent: unde manifestum est, eum loqui de *existentia civili*, quae scilicet legum civilium patrocinio liberum habeat iurium suorum exercitium una cum vitae securitate et tranquillitate: quod etiam manifestius inde fit, quod tota haec Optati sententia connectitur per causalem *enim* cum illis Pauli verbis *ut tranquillam vitam agamus*. Quibus positis, facile est deprehendere et falsitatem expositionum, quae ab adversariis factae sunt, et veram Optati sententiam. Nimirum

I. Falsum est, quod *Dupinius* ait, Optatum, cum dicc-

ret, *Ecclesiam in imperio Romano esse, eo respexisse, quod imperium Romanum ante Ecclesiam Christi fuerit constitutum; atque hoc quidem modo non imperium in Ecclesia, sed hanc in illo esse, idest in eodem inaedificatam esse;* multoque magis falsum est, quod asserit Balduinus, nimirum idcirco dici ab Optato Ecclesiam in Republica esse, quod *Ecclesia pars sit societatis civilis, quippe quae in eius sinu coalescat.* Utroque enim in sensu dicere Optatus debuisset, Ecclesiam esse in regno Persarum, et in ceteris barbaris gentibus; quandoquidem etiam societates civiles barbararum gentium ante Christum fuere, et etiam in earum sinu, si ita loqui fas est, Ecclesia coaluit. Atqui negat Optatus, eo sensu se loquutum fuisse, qui societatibus etiam barbaris posset esse communis (*cf. superius animadversionem* 2^am^). Ergo, Optato ipso iudice, interpretationes Balduini et Dupinii falsae sunt.

II. Palam est, Optatum negare, Ecclesiam esse in ea republica, in qua vigeat doctrina Regalistarum. Negat enim Optatus, in ea republica Ecclesiam esse, in qua etiamsi physice existat, liberum tamen iurium suorum exercitium non habet (*cf. superius animadversionem* 3^am^ *et* 4^am^). Atqui in ea Republica, in qua vigeat doctrina Regalistarum, liberum iurium suorum exercitium Ecclesia non habet. Ergo negat Optatus, Ecclesiam in ea republica esse, in qua vigeat doctrina Regalistarum: ac proinde cum ait, *Ecclesiam in Republica esse,* praesupponit doctrinam contrariam Regalistis.

III. Vera Optati sententia eiusmodi dicenda est.

Optatus ait, *Ecclesiam esse in Republica* idest in ipsa societate civili, quatenus talis est, *nego; in imperio Romano,* et in genere in ea republica, quae in paribus circumstantiis versetur, ac imperium illud Romanum, de quo Optatus loquitur, *subdist.* quatenus scilicet Ecclesia liberum in ea habeat exercitium iurium suorum *conc.*, quatenus Ecclesia civili societati supervenerit, eiusve pars dicenda sit, vel in genere sit societas civili societate inferior, ut cum Dupinio et Balduino Regalistis placet, *nego.* Quod autem addit, *Rempublicam non esse in Ecclesia,* cum haec propositio, eius, de qua diximus, correlativa sit, ab ea lumen accipiat necesse est. Quapropter, cum respectu patrocinii per

leges civiles adversus hostium vim sive concessi sive negati Ecclesiam Optatus dixerit *in Republica esse vel non esse*, hinc eodem sub respectu patet, eundem negasse, *in Ecclesia esse Rempublicam;* quandoquidem manifestum est, Imperium Romanum, de quo Optatus loquebatur, ad propulsandam suorum adversariorum vim usque ad eam aetatem, in qua Optatus scribebat, non Ecclesiae patrocinio, sed exercitibus propriis uti consuevisse. Quapropter Optati sententiae summa haec est: *Ecclesia adversus hostes suos Reipublicae patrocinio indiget, non Respublica Ecclesiae. Quanta igitur Donati imprudentia fuit qui potissimum Imperatorem Ecclesiae christianoque plebis subsidio ultro sese offerentem iniuriis etiam ac maledictis prosciderit?* Quae quidem quantum aliena sint a re nostra, nemo est qui non videat.

Ceterum non est omittendum, ex eo quod asseratur, Ecclesiam habere tutelam suam a Republica (quae scilicet orthodoxa sit, neque Regalistarum erroribus infecta), non autem Rempublicam ab Ecclesia, nullo pacto sequi, Ecclesiam Reipublicae subesse debere. Praestatio enim tutelae (praesertim debitae, cuiusmodi eam esse videbimus, quam catholica Respublica Ecclesiae praestat) per se nihil aliud est, nisi *medium* ad conservationem alterius. Ratio autem primatus non a mediis, sed a fine desumenda est; ita ut qui habet naturam medii, servire magis debeat quam imperare. Itaque etiamsi exercitus sit tutela principatus, non principatus exercitus; nihilominus in confesso est, exercitum servire principatui, non principatum exercitui.

58. Resp. ad ipsam sententiam, seposita auctoritate S. Optati, sepositoque sensu, quo ab eo prolata est. Ecclesia, inquiunt, est in Republica, non Respublica in Ecclesia est. Ergo Ecclesia Reipublicae, non Respublica Ecclesiae subiecta esse debet.

Dist. antecedens quoad 1^{am} *partem*. Ecclesia est in Republica formaliter, *nego;* materialiter, *transmitto; quoad alteram partem* item *transmitto*, *et nego cons*. Cuius distinctionis haec per singulas partes ratio est.

I. Ecclesiam non esse *formaliter* in Republica non modo ex eo patet, quod finis utriusque societatis est diversus,

verum etiam quia finis Ecclesiae est supernaturalis, adeoque repugnat, ut in fine naturali contineatur.

II. Ecclesiam in Republica *materialiter* esse, ideirco transmisimus, quia per se ac simpliciter id admitti non posset, tum quia Ecclesia una simul est et catholica, ita ut totum orbem terrarum ad instar unius corporis complectatur, adeoque repugnet, eam in singulari quapiam Republica vel materialiter contineri: tum quia in Dei mente, qui utriusque societatis est conditor, prior est Ecclesia, quam societas civilis, quia prior est in eius mente felicitas hominis aeterna, quam temporalis. Ergo Respublica magis in Ecclesia esse dicenda esset, quam Ecclesia in Republica. Atque haec ratio est, cur etiam alteram partem antecedentis transmittendam esse duximus.

III. Ex eo quod transmittitur, vel etiam concedi velit Ecclesiam in Republica materialiter esse, merito id negatur, quod inde sequi adversarii volunt, nimirum Ecclesiam Reipublicae, non Rempublicam Ecclesiae subesse debere: quia materialiter quidpiam capere aut habet rationem *medii* ad existentiam eius, quod ibi continetur, adeoque servientis instar est, aut cum ratione primatus nullum per se nexum habet. Itaque etsi Rex in populo, non populus in Rege sit, nihilominus non Rex populo, sed populus Regi subest.

59. R. ad ea quae ad confirmationem adducta sunt.

I. Imperium, inquiunt, antequam Ecclesia constitueretur, in iusta erat libertatis possessione. Atqui iniustum est, quempiam a iusta possessione deturbari. Ergo etc.

R. 1. *Nego mai. et suppositum.* Falso enim supponitur ante Christum Ecclesiam non fuisse. Fuit enim semper, et ab ipsis progenitoribus nostris *quoad substantiam,* idest quoad finem, et quoad officia, quae cum eo coniuncta sunt, eademque semper in fide et meritis Christi fundata fuit *(Cf. Suarez de fide Disp. IX, Sect. 2. et S. Thom. 3. q. 8. art. 3. ad 3. et in 4. Sent. dist. 27. q. 3. art. 1. quaestiunc. 3. in corp.).* Quo posito sequitur, alterutrum asserendum esse, aut curam eiusmodi finis, totumque regimen Ecclesiae ante Christum partem fuisse imperii civilis: aut imperium civile ante Christum nunquam in ea libertate fuisse, quam asserunt adversarii. Atqui cura finis Ecclesiae, totumque eiusdem re-

gimen non potuit esse pars imperii civilis; siquidem agitur de fine diverso a fine societatis civilis, et quod gravius est, de fine supernaturali, deque societate in fide et meritis Christi fundata. Ergo falsum est, imperium ante Christum in ea possessione libertatis fuisse, quam adversarii asserunt.

R. 2. *Dist. min.* Iniustum est, quempiam deturbari a possessione iusta, quatenus, et quousque talis est, *conc.* sublato iure possessionis, per eum, cui talis sit auctoritas, *nego.* Iam vero cum de Ecclesia agitur, patet agi de institutione divina. Quid ergo? An contra Deum possessionis iura obtendas? Claudicat igitur ex omni parte adversariorum argumentatio.

II. Ad secundum responsio patet ex dictis. *Dist. scil. mai.* Invidiosum est, societatem civilem ob ingressum in Ecclesiam mulctari iuribus suis quatenus talia sint, neque per eum, qui rite id possit, sublata fuerint *conc.* secus *nego,* et sic *contradistincta min. nego cons.* Neque id praetereundum est, perperam invidiosum dici, quod quispiam levioribus quibusdam iuribus privetur, si simul bonis longe maximis augeatur. Iam vero Ecclesiae bona, quibus augentur principes, cum ad eandem accedunt, eiusmodi certe sunt, quae nulla ratione comparari possunt cum levioribus illis iuribus, de quorum iactura adversarii conqueruntur. Ergo etc.

III. Non totum parti, sed pars, inquiunt, toti servire debet: Ecclesia autem saltem distributim sumpta est pars societatis civilis. Ergo etc.

R. *Transmitto maiorem, nego minorem et suppositum:* et do rationem.

a) Transmisimus maiorem, quia nisi verbum *servire* ad sensum detorqueatur a quaestione alienum, nullo modo admitti potest. Cum enim de societatum potestate quaestio est, *servire* idem valet atque *obedire:* quo posito, cum in qualibet societate multitudo sit *corpus,* princeps *membrum,* ut ut excellentius ac nobilius, ex ea propositione sequeretur, non multitudinem principi, sed principem multitudini obedire debere; quod, opinor, ne Regalistae quidem admittent.

b) Negavimus suppositum minoris. Supponunt enim adversarii, Ecclesiam, cum de eius natura ac iuribus agitur, distributim sumi posse, ita ut tot fere corpora habeat, quot

sunt societates civiles, in quibus vivit: quod est falsum. Ecclesia enim una est non modo unitate fidei et charitatis, verum etiam unitate finis atque regiminis sub communi omnium capite Romano Pontifice, adeoque una unitate corporis. Atque huc quidem pertinet celeberrimus Cypriani locus *De unitate Ecclesiae* sub initio, ubi prolatis Pauli verbis *Eph. IV. 4. etc. Unum corpus, et unus spiritus, una spes vocationis vestrae, unus Dominus, una fides, unum baptisma;* subdit: « *Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida praevaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur.* » Unde sequitur, ne divisionem quidem in Episcopatus, Archiepiscopatus, Patriarchatus id efficere, ut Ecclesia veluti in totidem corpora scindatur, sed ad modum tantum eam pertinere, quo fidelium regimen apte exerceatur, qui nimirum pro immensa sua multitudine gubernari aliter non possent.

c) Negavimus ipsam minorem, quia scilicet falsa est non modo ex iis, quae mox dicta sunt, verum etiam quia Ecclesia est societas diversa pro diversitate sui finis a societate civili, eaque longe est excellentior, adeoque absurdum est, ut pars societatis civilis dicatur.

60. *Ob.* 2°. Tum apud Hebraeos, tum apud Paganos negotia, quae Ecclesiastica audiunt, a Regibus gesta sunt, et Sacerdotes ipsi Regum imperio paruerunt. Quin imo etiam in Ecclesia Christi idem saepe factum est, vel ipsis Episcopis ius hoc regium re et factis non raro agnoscentibus.

R. ad singula.

I. Ad primum, idest ad analogiae argumentum desumptum ab Hebraeis, *Transmitto antecedens, nego consequens.*

Manifesta enim disparitas est inter Hebraeorum et Christianorum tum religionem, tum civilem rempublicam. Quod enim pertinet ad *religionem,* finis proximus religionis Hebraeorum non fuit simpliciter spiritualis, qualis in Ecclesia Christi est, verum etiam temporalis, scilicet institutio cuiusdam temporalis regni, quod in hac vita temporalem felicitatem pareret; unde promissiones, quae observatoribus veteris legis a Deo fiebant, temporales erant. *Cf. Auctorem de Re-*

gim. Princ. L. 1. *C.* 14. *et Bellarminum de Rom. Pont. L.*2. *C.* 19. *Ad argumentum quartum:* quae tamen responsio ne plus aequo urgeatur, prae oculis habendus est *Suarez De Legibus Lib. IX. C. III. per tot. et Cap. VI. n.* 18. *et seqq.* Quod vero attinet ad civilem rempublicam, ea apud Hebraeos nullatenus pura erat, sed *theocratia* admixta. Licet enim potestas civilis voluntate populi (accedente tamen auctoritate divina) ad Reges delata fuerit (1. *Regum VIII.* 7), nihilominus ipsa illa potestas in se spectata eadem fuit in Regibus, ac in iudicibus erat; adeoque theocratica esse minime destitit. Hinc 1. *Paral. XXIX.* 23. Salomon sedisse dicitur super solium Domini *pro David patre suo;* et Fl. Ioseph *L.* 2. *Contra Apion.* cum antea scripsisset *theocraticam Reipublicae formam fuisse a Moyse institutam,* paullo post addit, eam nunquam immutatam fuisse.

Transmisi autem antecedens: quia concedi non potest, tum quia ab adversariis non probatur: etenim quae ab illis obiiciuntur sacrae Scripturae loca, eadem perperam obiici demonstrant perspicue *Suarez in Defensione Fidei Libro III. Cap.* 25. *et Bellarminus in sua Responsione ad Apologiam pro iuram. fidelit. non longe a fine;* tum quia contrarium a Philone, atque ab aliis doceri, et ex Scriptura ipsa deduci idem animadvertit Bellarminus *Libro* 2. *De Pontif. Rom. C.* 19. *Ad argumentum quartum, et Suarez Def. Fid. L.III. C.* 26. *et Menoch. de Repub. Hebr. L. I. C. XI.* §. *Quaeritur V.* etc.

II. Ad secundum, idest ad analogiam deductam a Paganis, *Resp. Trans. ant. nego cons.*

Et 1°. quidem negavimus *conseq.* quia ratio disparitatis multiplex est: 1°. quia Paganorum superstitio, eorumque sacrilega sacerdotia comparari cum Ecclesia Christi absque iniuria non possunt. Licet enim id fiat non ipsas aequiparando Religiones, sed a sensu Paganorum argumentando; manifestum est, id ipsum iniuriosum esse, quod Ecclesiae iura ad sensum Paganorum determinentur, hominum scilicet, qui in tota Religione ita caecutierunt, ut etiam Divinitatem materialem facerent: 2°. quia finis Ecclesiae Christi est supernaturalis; religionis autem Paganorum totus erat naturalis. Unde Auctor *de Regim. Princ. P.* 1. *C.* 16, haec ap-

posite ad rem nostram scribit: *Sacerdotium Gentilium, et totus Divinorum cultus erat propter temporalia bona, quae ordinantur ad multitudinis bonum commune temporale, cuius Regi cura incumbit; unde convenienter Gentilium Sacerdotes Regibus subdebantur.* Merito igitur negavimus consequens, cum tanta sit inter Ecclesiam Christi et Paganorum religionem disparitas.

2°. *Transmisimus autem antecedens;* quia ne hoc quidem admitti simpliciter potest, Reges apud Gentiles sacerdotalem potestatem exercuisse. Imo si quis historias consulat, facile contrarium reperiet. Cf. *Lessium Defens. potest. Summi Pontif. Parte* 2. *Sectione* 1. *Ratione* 12.

III. Ad tertium, idest ad argumentum deductum ex factis.

Resp. 1°. *Transmitto antecedens, nego consequens.* Ratio est, quia primatus Ecclesiae prae societate civili ex eius natura, et ex divina voluntate profluit, quemadmodum supra demonstratum est. Haec autem humanis factis abrogari aut mutari posse quis dicat?

Resp. 2°. *Disting. antecedens;* eaque facta sunt *iniuste,* et si quidem *iuste,* accedentibus pro natura facti legitimis conditionibus; puta, delegatione ex parte ecclesiastici Magistratus *conc.* secus *nego.* Hinc ex. gr. quamplurima, quae a Romanis Imperatoribus constituta sunt de negotiis ad Ecclesiam pertinentibus, ea vel suasu et impulsu Romanorum Pontificum sunt constituta, vel cum essent sacris canonibus iampridem decreta, imperialis auctoritatis vi ac potentia in Ecclesiae ipsius utilitatem ac defensionem munita sunt: quo sane pertinent ecclesiasticae Iustiniani constitutiones, quemadmodum non modo Beveregius probat in suis Pandectis Canonum *Prolegomenorum* n. 2. verum ipse de se fatetur Iustinianus *Nov.* 6. §. 1., et *Nov.* 123. *in Prooem.* iuxta editionem Haloandrinam. (Cf. *Gudelinum de iure noviss. Lib. VI. C.* 1.) Eodem pertinent etiam Capitularia Regum Francorum, quae de rebus Ecclesiasticis edita sunt, quandoquidem ab ipsis Episcopis constituta, aut comprobata ea fuisse, neminem latet (*).

(*) *Cf. Charlas De Libertatib. Eccl. Gallic. Lib. I. cap. X. et seqq. Edit. Rom.* 1720; *et Bianchi Della esterior polizia della Chiesa lib. II. Cap. III. §. II. et seqq.*

Quod vero addunt, regiam hanc potestatem in res Ecclesiasticas fuisse aliquando ab ipsis Episcopis agnitam et comprobatam, id *distinguimus*. Aut enim hoc sensu id accipitur, quod Episcopi pro variis temporibus opportunum aliquando iudicaverint, vel eam tolerare ad graviores iniurias praecavendas, vel etiam invocare pro ipsius Ecclesiae bono et tranquillitate; idque facile *concedimus:* aut eiusmodi sensu id accipitur, ut eam potestatem propriam atque nativam Principum secularium imperio esse senserint, idque *subdistinguimus:* a quibusdam nimirum id aliquando factum fuisse ex animo sive fracto, sive temporalium bonorum ambitioso *concedimus*, secus *negamus*.

Ceterum quaenam sit hac de re Episcoporum, et totius Ecclesiae mens et doctrina ab ipsis Ecclesiae primordiis ad haec usque tempora, iam docuimus: ita ut a bona fide sit prorsus alienum, paucorum quorumdam ostentare auctoritatem, auctoritatem vero totius Ecclesiae despicere.

61. *Propos.* 3ª. Regimen societatis civilis *atheum* esse non debet, ita ut indifferentem se omnino praebeat in iis, quae pertinent ad religionem: salvo tamen in rebus dubiis Ecclesiae iure definiendi, quae vere ad religionem pertineant (*).

I. Probatur 1ª. pars. Societas civilis catholicorum considerari potest duplici sub respectu, *materiali*, quatenus est collectio catholicorum, *formali*, quatenus fini, qui ei proprius est, intendit. Atqui utrovis sub respectu palam est, eius regimen non posse esse atheum, sive indifferens quoad religionem.

Prob. min. *quoad primam partem*. Sub eo respectu Societas civilis est collectio membrorum Ecclesiae; Atqui membra non possunt esse indifferentia quoad societatem, cui inhaerent, sed eidem etiam *positive* servire debent in iis, quae illa exigit, tanquam necessaria fini suo (*Num*.50,*b*); Ergo etc.

Inde sequitur, quod Societas civilis vim physicam Ecclesiae pro sua necessitate eam petenti praestare omnino debeat. Etsi enim vis physica transierit a singulis in Socie-

(*) *Cf. Bellarm. De Membr. Eccl. Lib. III. Cap.* 18.

tatis praefectos, transiit tamen cum onere suo; onus autem singulorum hoc est, ut praestare debeant Ecclesiae, cuius sunt membra, quaecumque ei necessaria sunt, adeoque etiam vim physicam.

Prob. min. *quoad secundam partem.*

a) Ratione. Etenim directe pertinet ad societatem civilem curare tranquillitatem et pacem Reipublicae, quae pars maxima est temporalis felicitatis. Atqui tranquillitas et pax consistere diu non potest cum indifferentia erga Religionem (51, II.). Ergo etc.

Confirmatur. Societas civilis temporalem felicitatem curare debet non absolute et simpliciter, sed quatenus est propria hominis. Atqui temporalis felicitas hominis propria ordinata esse debet ad vitam aeternam, adeoque respectum habere debet ad religionem (*). Ergo etc.

b) Doctrina Patrum, iisque praesertim locis, quibus altera ratio a nobis prolata comprobatur.

S. Leo M. *ad Leonem Aug. Ep.* 125. *alias* 75: « *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et quae bene sunt statuta defendas, et veram pacem his, quae sunt turbata, restituas.*

S. Augustinus *Epist.* 185. *alias* 50. *ad Bonifacium Com. n.* 19: « *Aliter servit* (Rex Deo) *quia homo est, aliter quia etiam Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter; quia vero etiam Rex est, servit leges iusta praecipientes et contraria prohibentes convenienti rigore sanciendo: sicut servivit Ezechias lucus et templa idolorum, et illa excelsa, quae contra praecepta Dei fuerant constructa, destruendo... sicut servivit Rex Ninivitarum universam civitatem ad placandum Dominum compellendo... sicut servivit Nabuchodonosor omnes in regno suo positos a blasphemando Deo lege terribili prohibendo.* » Et superius, idest n. 8: « *Nam et temporibus prophetarum omnes Reges, qui in populo Dei non prohibuerunt, nec everterunt, quae contra Dei praecepta fuerant instituta, culpantur, et qui prohibuerunt, et*

(*) *Cf. S. Thomam seu Auctorem De Regim. Princ. Lib.* 1. *Cap.* 14.

everterunt, super aliorum merita laudantur. » Et inferius, idest n. 20: « *Cum nondum Reges Domino servirent, sed adhuc meditarentur inania adversus Dominum, et adversus Christum eius, non utique tunc possent impietates legibus prohiberi, sed magis exerceri.... Postea vero quam coepit impleri quod scriptum est:* Et adorabunt eum omnes Reges terrae, omnes gentes servient illi: *quis mente sobrius Regibus dicat: Nolite curare in regno vestro a quo teneatur, vel a quo oppugnetur Ecclesia Domini vestri: Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse sive religiosus, sive sacrilegus; quibus dici non potest: Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus? An fidem non servare levius est animam Deo, quam feminam viro? Aut si ea, quae non contemptu, sed ignorantia religionis committuntur, mitius vindicanda, numquid ideo negligenda sunt?*

S. Gregorius M. *ad Mauritium Imperatorem L.* 2. *Ep. XI:* « *Ad hoc potestas super omnes homines Dominorum nostrorum pietati caelitus data est, ut, qui bona appetunt, adiuventur; ut caelorum via largius pateat; ut terrestre regnum caelesti regno famuletur.* »

Eadem vero habent Caelestinus Papa *in Epistola ad Theodor.* quae extat post Actionem II. Concilii Ephesini; S. Isidorus Pelusiota *Lib.* 3. *Ep.* 249; Ferrandus *ad Reginum Comitem in quinta Regula;* Bernardus *Epistola* 127 etc. Unde Doctores Scholastici docuerunt, finem praecipuum regiminis civilis in ea re consistere, ut homines ad virtutem, ac proinde ad obsequium Religionis informentur, quos inter satis sit memorasse Auctorem *de Regim. Princ. L.* 1. *C.* 15, ubi haec habet: « *Cuicunque incumbit aliquid perficere, quod ordinatur in aliud, sicut in finem, hoc debet attendere, ut suum opus sit congruum fini; sicut faber sic facit gladium, ut pugnae conveniat, et aedificator sic debet domum disponere, ut ad habitandum sit apta. Quia igitur vitae, qua in praesenti bene vivimus, finis est beatitudo caelestis, ad Regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare secundum quod congruit ad caelestem beatitudinem consequendam, ut scilicet ea praecipiat, quae ad caelestem beatitudinem ducunt, et eorum*

contraria, secundum quod fuerit possibile, interdicat. » *Et Lib. III. Cap.* 3: « *In regimine legislator semper debet intendere, ut cives dirigantur ad vivendum secundum virtutem: imo hic est finis Legislatoris, ut Philosophus dicit in* 2°. *Ethicorum.* » Et paulo post: « *Finis autem, ad quem principaliter Rex intendere debet in se ipso et in subditis, est aeterna beatitudo, quae in visione Dei consistit.*

II. *Probatur* 2ª. *pars;* nimirum Principes ita Religionem tueri debere, ut Ecclesiae iudicia non antevertant, sed sequantur; imo ne modum quidem excedant, quem ad animarum salutem Ecclesia ipsa praescripserit.

a) *Probatur ratione.* Triplex ratio est, qua Principes tenentur religionem tueri: prima est, quatenus sunt membra Ecclesiae, reliquae duae, quatenus id exigit ratio ipsa finis societatis civilis, quarum altera minus perfecta, ut scilicet temporalem felicitatem tueantur, quae sine morum probitate, ac religionis cultu consistere diu nequit; altera nobilior, atque ordine princeps, quia nimirum felicitas temporalis, cuius cura ad eos pertinet, hominis propria esse debet, adeoque ordinata ad vitam aeternam. Iam vero quaelibet ex iis exigit, ut Principes in religione defendenda Ecclesiae iudicia non antevertant, sed sequantur. Quod enim attinet ad primam, palam est, *membra* cuiuslibet societatis, adeoque et Ecclesiae conferre debere, quae eidem necessaria sunt, non arbitrio proprio, sed eius, qui Societati praeest (8.II,III). Quod vero ad alteram pertinet, ex eo ipso, quod religio fundamentum est temporalis felicitatis, manifestum est consequi, cavendum esse, ne eius ordo violetur ac turbetur. Atqui id facile fieret, si in religione defendenda anteverterent Principes Ecclesiae iudicia, quae scilicet una nosse potest, quid vere ad religionem pertineat, vel non, quidque ad eius bonum conferat, eive noceat. Ergo etc. Praeterea, quemadmodum religionis ordinem evertit, in eamque est sacrilegus, qui sacrificat, cum Sacerdos non sit, ita eiusdem ordinem evertit, eamque violat, qui de ea quidpiam disponit, cum eius cura ad se commissa non fuerit. Ergo etc. Ad tertiam denique quod spectat, ea maxime exigit, ut Principes sequantur, non praecedant Ecclesiae de rebus religiosis iudicia. Ut enim recte argumentatur Auctor *de Regim. Princ. L.* 1.

C. 14 : « *Semper invenitur ille, ad quem pertinet ultimus finis, imperare operantibus ea, quae ad finem ultimum ordinantur: sicut gubernator, ad quem pertinet gubernationem disponere, imperat ei, qui navem constituit, qualem navem navigationi aptam facere debeat: civis autem, qui utitur armis, imperat fabro, qualia arma fabricet.* » Cum igitur finis societatis civilis, qui est temporalis felicitas, ordinetur ad finem Ecclesiae, qui est vita aeterna, merito concluditur, in iis quae ad vitam aeternam, adeoque ad religionem pertinent, Ecclesiam praeire, societatem civilem sequi debere.

b) ***Probatur** ex doctrina Patrum,* ad quam pertinent, quae iam allata sunt *n.* 45. *lit. b. et n.* 55. III; quibus addenda sunt ea quae pressius ad hanc thesim faciunt, nimirum: ***Principes** non praevios, sed pedissequos sacerdotalium decretorum esse oportere:* quae verba sunt Facundi Hermian. *Pro defens. trium capit. L.* XII. *c.* 2. *ad fin.* tum etiam: ***publicum*** (idest societatis civilis) *auxilium ita in Ecclesiae bonum conferendum esse, ut non praeiudicare praesumat, sed potius, quae Deo sunt placita, exequatur:* quae sententia est Ioannis VIII. *in Cap.* 1. *de Offic. Iud. ord.* Item: ***Principes** seculares Ecclesiae protectores ita esse censendos, ut tamen quae ecclesiastici iuris sunt, tamquam Dei praecepta eiusque patrocinio tecta, co sanctius venerentur, quo largius bonis temporalibus atque in alios potestate Dei beneficio sunt ornati:* quae verba sunt Tridentinorum Patrum *Sessione* 25. *C.* 20. *de Reform. etc.*

62. *Ob. contra* 1^am^ *partem.* Minime expedit, regia potestate compelli homines ad obediendum Ecclesiae. Id enim 1°. tranquillitatem societatis civilis facile turbat: 2°. Magis magisque alienos facit ab Ecclesia hominum animos, quandoquidem improba videtur dominatio, quae terrore potius, quam doctrina utitur: 3. Duplici mensura uti videtur Ecclesia, cum in Republica catholica hanc thesim contra heterodoxos teneat, in heterodoxa contra se respuat.

R. ad 1um Excutit omnem metum Auctor *de regim. Princ. L.* 1. *C.* 15. ubi in hoc principum officio declarando naturalem illam conditionem apponit « *secundum quod possibile fuerit.* » Quapropter circumstantiarum Reipublicae habenda

ratio est, quae si eiusmodi sint, ut illud praestari vetent, ea tolerantia adhibenda erit, quae in aliis etiam permittendis malefactis non raro adhibetur, ita tamen ut princeps negative ac passive se habeat; nihil autem, quod Ecclesiae bono contrarium sit, positive approbet (*).

Ad 2um quid respondendum sit, docet Augustinus *Epistola* 93, alias 48, *ad Vincentium*. « *At enim quibusdam ista non prosunt. Numquid ideo negligenda est medicina, quia nonnullorum insanabilis est pestilentia? Tu non attendis nisi ad eos, qui ita duri sunt, ut nec istam recipiant disciplinam. De talibus enim scriptum est:* Frustra flagellavi filios vestros; disciplinam non receperunt: *puto tamen, quia dilectione, non odio flagellati sunt. Sed debes etiam tam multos attendere, de quorum salute gaudemus. Si enim terrerentur, et non docerentur, improba quasi dominatio videretur. Rursus si docerentur et non terrerentur, vetustate consuetudinis obdurati ad capessendam viam salutis pigrius moverentur; quandoquidem multi, quos bene novimus, reddita sibi ratione, et manifestata divinis testimoniis veritate, respondebant, cupere se in Ecclesiae catholicae communionem transire, sed perditorum hominum inimicitias formidare... Cum vero doctrina salutaris terrori utili adiungeretur... de multorum, ut dixi, salute laetamur benedicentium nobiscum Deo, quod sua pollicitatione completa, qua Reges terrae Christo servituros esse promisit, sic curavit morbidos, sic sanavit infirmos.* » Et infra: « *Et tamen vereris, ne eum imperialibus legibus ad unitatem*

(*) De tolerantia civili dignus est qui consulatur *Tannerus Theol. Scholast. Tom. III. Disp.* 1. *quaest.* 9. Summatim vero haec de illa tradi possunt: I. Duplici ex caussa, seposita lege positiva, eam esse illicitam; quia nefas est cooperari superstitioni heterodoxorum; tum quia nefas est catholicos periculo seductionis exponere: II. Inde consequi, ad eam honestandam eas conditiones necessarias esse, quae ad honestandam cooperationem alterius peccato, tum ad licite sese exponendum occasioni, sive periculo peccandi communiter a Theologis traduntur: III. Nihil in hac re, inconsulto Summo Pontifice esse decernendum, tum quia agitur de casu gravissimo circa statum Ecclesiae, de quo nonnisi Summus Pontifex iudicare potest; tum quia tolerantia haec civilis legibus ecclesiasticis per se prohibita est. Denique prae oculis habendae sunt propositiones a Ssmo D. N. Pio IX in syllabo reprobatae, quae sunt LXXVII. ad LXXX.

cogimini, nomen Dei a Iudaeis et Paganis diutius blasphemetur; quasi nesciant Iudaei, quemadmodum primus populus Israel etiam bello delere voluerit duas illas tribus et dimidiam, quae ultra Iordanem terras acceperant, quando eas putaverunt se ab unitate sui populi separare. Pagani vero magis nos blasphemare possunt de legibus, quas contra idolorum cultores Christiani Imperatores tulerunt: et tamen ex eis multi correcti, et ad Deum vivum verumque conversi sunt, et quotidie convertuntur. »

Ad 3um *Dist.* Ita scilicet, ut Ecclesia neget heterodoxis quidquam veri iuris, quod eis competat, dum illud sibi vindicat, *nego:* ita ut neget heterodoxis, utpote in errore constitutis, quod exclusivum veritatis ius est, errorique incommunicabile, *conc.* Vel brevius *Nego suppositum.* In ea quippe obiectione supponitur, *errori,* eo saltem nomine, quod talem se non existimat, eadem iura competere, ac *veritati,* quod aeque falsum est, ac si quis dicat, *amentibus,* eo saltem nomine, quod tales se non existimant, eadem iura competere, quae *mente sanis.* Sed in hac re triplex distingui debet respectus, *primus* relate ad conscientiam Ecclesiae, *alter* relate ad conscientiam heterodoxorum, *tertius* relate ad rem ipsam, qualis ab extraneo quopiam iudicari deberet. *Ad Ecclesiam* quod attinet, ea certa est non tam opinione propria, quam divinis testimoniis, in se una veritatem esse, in ceteris pseudo-religionibus errorem, idque ad articulum fidei pertinere, contra quem nihil agere potest: inde ei nulla mensurae duplicitas, sed lex aeterna firma manet, quae veritati prae errore dominatum defert, negatque esse posse participationem iustitiae cum iniquitate, neque societatem luci ad tenebras (2. *Cor. VI,* 14). Quod spectat *ad heterodoxos,* quatenus *in bona fide* maneant, eodem iure erunt, ac amentes, quibus nihil imputatur ex iis, quae in amentia agunt. Quod denique attinet *ad rem ipsam,* ea tales habet characteres, ut in foro saltem externo nemo aequus non agnoscere Ecclesiae iura debeat. Quidquid enim sit de interna bona fide heterodoxorum, ea certe probari extrinsecus nemini aequo potest. Aut enim serio, rectaque cum voluntate attendunt ad motiva credibilitatis Ecclesiae catholicae, et ad notas falsitatis sectae suae, aut non attendunt, vel

serio, rectaque cum voluntate attendere nolunt. Si nullo modo, vel rite non attendunt, cum eorum ignorantia aut crassa sit, aut etiam affectata, una cum bona fide esse nequit. At si rite attendunt, multo minus admitti poterit, eos bona cum fide in errore suo persistere. Sive enim ex una parte perpendant Ecclesiae catholicae originem, et una cum perpetua serie suorum Pontificum nunquam mutatam fidem, a S. Petro, adeoque a Christo ipso Iesu ad Pium IX, qui modo eidem praeest, tum eius adversus inferorum portas firmitatem et conservationem, imo et propagationem, tum eiusdem sanctitatem et nunquam desinentia miracula, ac cetera denique, quae dicunt credibilitatis motiva, divinaque sunt omnium oculis testimonia; sive ex altera parte considerent originem suae sectae, variationem doctrinae, malas artes, quibus constituta est, et adversus catholicos pugnavit, ariditatem spiritus, carnis lucrorumque temporalium studium, nulla vera miracula, nullam fecunditatem, aut fecunditatem turpibus modis comparatam, ceterasque maculas, quibus unaquaeque secta inficitur, profecto, nisi e statu mentis decedant, se in errore esse fateantur necesse est. Quidquid igitur sit de interno uniuscuiusque heterodoxi statu, de quo Deus iudicabit, extrinsecus certe nemo aequus iudicare poterit, eos *bona fide* esse; unde omnis obiectae criminationis species evanescit, Ecclesiam *duplici mensura* uti: qua tamen ne in hypothesi quidem *bonae eorum fidei* uteretur, cum vera inter se atque eos relatio, ut dictum est, eadem illa esset, quae est inter sanos, et amentes, qui se sanos putant *(Cf. n.* 38, V, *et* 66, *collatis etiam* 63 *et seqq.)*.

§. II.

De Ecclesiae potestate quoad Haereticos.

63. Haereticorum nomine eos intelligimus, qui, cum baptizati rite fuerint, alicui circa fidem errori cum pertinacia adhaerent, unde ob eiusmodi defectionem extorres ab Ecclesia facti sunt. Hac autem notione posita, ecclesiastica in eos potestas facile determinatur.

64. *Propositio* 1ª. Haeretici ecclesiasticis legibus per se obstringuntur.

Prob. Quia perdurat in eis fundamentum subiectionis, quod est character baptismatis; quandoquidem per baptismum unusquisque Ecclesiae potestati ab eadem pascendus committitur (*).

Confirm. Caussa criminis neminem a legibus solvit, quia nemini fraus sua patrocinari debet. Atqui haeretici nonnisi caussa criminis extorres sunt ab Ecclesia. Ergo etc.

Confirm. iterum. Si haeretici Ecclesiae iurisdictioni non subiicerentur, ne puniri quidem ab eadem ob haeresim possent. Atqui possunt puniri (cf. hac de re *Bellarm. de Membr. Eccl. L. III. c.* 21; qui hanc doctrinam diligentius exponit). Ergo etc.

Hinc inferre licet, recte a Bellarmino dictum esse *(De Eccl. L. III. cap. IV.* §. *Respondeo haereticos),* haereticos non esse de Ecclesia, sed ad Ecclesiam pertinere, tum quia scilicet iurisdictioni eius subiiciuntur; tum quia reverti ad eam obligantur.

65. *Prop.* 2ª. Adesse aliquando possunt eiusmodi circumstantiae, quibus concurrentibus, censendum sit, Ecclesiam nolle legibus suis, vel certa aliqua lege haereticos obligari.

Prob. Adesse aliquando possunt eiusmodi circumstantiae, in quibus exercitium ecclesiasticae iurisdictionis in haereticos sit in destructionem, et non in aedificationem; ita ut gravissima gignat incommoda, et sin minus iustitiam, certe charitatem laedat. Atqui hisce in circumstantiis Ecclesia censenda est, nolle legibus suis haereticos obligare. Ergo etc (**).

a) Hinc sequitur, quotiescumque dubium proponitur, utrum lex aliqua ecclesiastica haereticos obliget, perpendendas esse circumstantias, utrum nimirum eiusmodi sint, ut iis positis, Ecclesia censenda sit nolle eos obligare.

§. III.

De Ecclesiae potestate quoad Infideles.

66. Infideles eos dicimus, qui numquam per baptismum ad Ecclesiam accesserunt. In his igitur ne plus aequo im-

(*) *Cf. Suarez, De legib. Lib. IV. cap.* 18. *num.* 2.

(**) Exemplum aliquod legi potest apud *Bened. XIV. Const. Singulari* 9 *Febr.* 1749.

moremur, satis est dixisse: *Ecclesiam de iis non iudicare:* quod axioma innititur textui sacro (1. *Cor. V.* 12) et communi omnium doctrinae. Unde haec sequuntur:

I. Societatem infidelium esse societatem penitus extraneam ab Ecclesia:

II. Eorum societatem, quatenus religiosa est, per se esse *illegitimam:* quia societas religiosa nonnisi *una* potest esse legitima: eiusmodi autem est Ecclesia Christi, a qua illa extranea est:

III. Inter Ecclesiam et societatem infidelium perpetuum esse bellum; quod ab Ecclesia geritur per ministros Evangelii, et expeditiones sacras, iubente Domino praedicari Evangelium omni creaturae *Marc. XVI.* 15.

IV. Infideles eatenus *inculpabiliter* resistere, Ecclesiaeque ministros persequi, quatenus in *bona fide* sint minime dubia, minimeque culpabili: a qua ubi exciderint, et in dubium aliquod devenerint, tenentur veritatem inquirere; eidem vero cognitae adhaerere (38. V).

CAPUT SECUNDUM

DE ECCLESIAE POTESTATE, QUATENUS PUBLICIS CONVENTIONIBUS, SIVE, UT AIUNT, CONCORDATIS DETERMINATUR.

67. Egimus de *ordinaria* Ecclesiae potestate, quatenus praecipue deducitur *ex ipsa eius natura,* seu ex qualitate, qua *societas perfecta* dicenda eadem est; eandemque potestatem etiam ex altero fonte quantum satis est confirmavimus, idest *ex positiva voluntate Christi,* quae nobis patet vel ex Sacris Litteris, vel ex traditione. At *ordinaria* eiusmodi potestas licet non omni ex parte, ex aliqua tamen subire potest *extraordinarias* quasdam modificationes, si nimirum legitimae conventiones intercedant, quibus Ecclesiasticae potestatis fines vel dilatentur, vel contrahantur. Eiusmodi autem conventiones *Concordata* audiunt: eaque solent iniri inter Summum Pontificem, et Societatem aliquam civilem, quae ut plurimum catholica esse solet, licet nihil impediat, quominus ineantur etiam cum Societate civili sive haereticorum, sive infidelium. Agemus hic breviter de Con-

cordatis inter Ecclesiam et Societatem civilem catholicam; deinde appendicis more aliquid adiiciemus, unde doceatur, quomodo, et quatenus eadem doctrina applicari possit Concordatis inter eandem Ecclesiam et Societatem civilem haereticam, aut infidelem.

68. Iam vero, ut nostrae disputationis veritas ac fides appareat, eadem via utemur, qua in *ordinaria* Ecclesiae potestate exponenda usi sumus: primum scilicet quaeremus in genere, quid iuris servandum sit in conventionibus, seu concordatis a quibuslibet societatibus inter se distinctis invicem initis; deinde corollarii more eandem doctrinam Ecclesiae cum societate civili catholica paciscenti pro utriusque iam perspecta natura applicabimus, idque ipsum brevitatis ergo in singulis quibusque partibus explicandis, quibus Concordatorum, seu publicarum conventionum doctrinam complectimur, continuo faciemus.

69. In tres autem partes hanc doctrinam distribuemus, quarum prima sit de notionibus generalibus eiusmodi conventionum, altera de iisdem ineundis, tertia de interpretandis, ac dissolvendis.

ARTICULUS I.

De Notionibus generalibus.

70. Nemini dubium est, non modo societates, quae inter se pares sint, pacisci inter se posse, verum etiam quae dispares. Itaque utrumque in ipsa societate civili videmus, et nationes independentes cum aliis nationibus plane separatis, atque aeque independentibus conventiones inire, et aliquam nationem, seu aliquam societatem civilem cum collegiis intra se existentibus, sibique subiectis suam fidem aliqua in re mutuo obligare, sive quod ipsa aliquid illis polliceatur, sive quod contra eorum operam, atque obligationes pro bono publico ab iisdem susceptas acceptet. Licet autem utroque in casu eiusmodi acta generali *conventionis* nomine appellari possint, nihilominus, quia nonnihil aliquo in casu quoad iuris effectus inter se possunt differre, diverso item nomine distinguenda eadem esse complures iuris scriptores censuerunt: adeoque pacta inter duas nationes aeque independentes,

seu societates inter se pares *publica foedera* dicunt; conventiones autem inter societatem civilem et aliquod collegium eidem subiectum (vel quod idem est, inter Principem eiusque subditos) *privilegii* potius nomine appellandas esse malunt.

71. Iam vero publicorum foederum duplex distingui potest species. Quae enim mutuam continent paciscentium obligationem, eadem *pacta synallagmatica* recte appellantur a *synallagmate,* quod est contractus ultro citroque obligationem pariens: quae vero unius tantum partis obligationem continent, eadem generali nomine *conventiones* appellari possunt.

72. At *privilegia* meliore etiam iure (praeter alias divisiones, quae magis ad ius privatum pertinent) *triplicem in speciem* dividi consueverunt; ita scilicet, ut alia dicantur *gratuita*, alia *onerosa*, alia denique *remuneratoria*. Porro *onerosa* sunt, quae conceduntur in gratiam alterius rei, vel iuris, quod a subdito privilegiato vicissim praestatur: *gratuita*, quae ex mera liberalitate dimanant: *remuneratoria*, quae non quidem per modum contractus, quemadmodum onerosa, sed per modum remunerationis alicuius meriti conceduntur: quae quidem privilegia si meritum non assequantur, vel illud simpliciter exaequent, onerosis fere (*fere*, inquam; nam animus contrahendi deest) aequiparantur; si superant, qua parte merita exaequant, onerosis, qua superant, gratuitis paria habentur.

73. Hac autem doctrina posita, qua societas civilis utitur, haec iam de Ecclesiae Concordatis, quae cum societate civili catholicorum ineuntur, tenenda esse pronum est:

I. Eiusmodi concordata iuxta praedictam notionem ordinario et regulariter *privilegiis* adnumeranda esse; ita ut *Concordatum* recte definiatur: *Lex particularis ecclesiastica pro aliquo regno Summi Pontificis auctoritate edita ad instantiam Principis eius loci, speciali eiusdem principis obligatione confirmata, se eam perpetuo servaturum.* Ratio est, quia in Concordatis, quae ab Ecclesia ineuntur, regulariter et ordinario de rebus agitur ad eam pertinentibus, adeoque eiusmodi, quae sive per se, sive per accidens cum fine spirituali connexae sint; quibus quidem in rebus societatem civilem subditam esse Ecclesiae indubitatum est (55).

Dixi *ordinario et regulariter*. Fieri enim potest,

a) Ut Ecclesia de rebus quibusdam temporalibus, quibus spiritualis ratio adnexa sit, ita cum societate civili paeiscatur, ut primum rationem spiritualem ab iis separet, deinde circa eas contractum ineat: quod si fiat, palam est, eas iustam proprie dicti contractus materiam factas esse:

b) Ut societas civilis rem aliquam temporalem in Ecclesiam transferat; quod quidem per verum proprieque dictum contractum recte fieri potest: nam ratio spiritualis, nonnisi perfecto contractu, supervenit, cum scilicet per ipsius Ecclesiae acceptationem res Dei fit, et in finem aliquem Ecclesiae proprium, adeoque spiritualem destinatur.

II. Eadem concordata (saltem, ut diximus, ordinario et regulariter) privilegiis *gratuitis*, aut ad summum remuneratoriis accenseri oportere, non autem privilegiis *onerosis*, quâtenus saltem contractum proprie dictum haec indicant. Ratio est, quia, ut mox dictum est, in eiusmodi concordatis de rebus spiritualibus, vel rei spirituali adnexis agi solet. Atqui ex communi et catholica sententia hisce de rebus contractus propric dictus absque crimine simoniae iniri non potest. Ergo etc.

III. Quod ex praedictis sequitur, perperam (ordinario item ac regulariter) *pacta synallagmatica* eadem a Regalistis appellari, tum quia, ut modo diximus, pacta seu contractus proprie dicti citra simoniae crimen esse nequeunt, tum quia pactum synallagmaticum, licet per se pactum bilaterale simpliciter significet, nihilominus nonnullorum, ac praesertim Regalistarum usu loquendi ad ea foedera referri solet, quae inter societates omnino aequales et independentes ineuntur; adcoque earum adsignificat absolutam aequalitatem; quod quidem in re nostra falsum est, ut modo animadvertimus *(heic I.)*. Praeterea qui Concordata pacta synallagmatica esse vult, is, ut sibi cohaereat, haec cum Schloer asserere simul debet: *a*) divinam Primatus institutionem humanis hisce concordatis coarctari, et mutilari: *b*) Summum Pontificem alienatione proprie dicta iura Primatus sui alienare posse, ita ut ea amplius exercere, invito Principe, cum quo concordatum factum est, eidem non liceat: *c*) qui in Pontificatu praecedit, successores suos ligare suis actis posse, eorumque potestatem

restringere; ita ut, cum a S. Petro ad Pium IX ducenti ac sexaginta Pontifices fere numerentur, iam ducentis ac sexaginta imminutionibus potuerit iam Primatus fere ad nihilum redigi: *d*) consequenter singulos Pontifices *non immediate a Christo in persona Petri,* quemadmodum fides catholica docet, sed a suo decessore Primatus potestatem recipere: *e*) cumque *per se,* ea omnia praescribi possint, quae possunt alienari, iura Primatus contra Romanos Pontifices, et quidem ab ipsis laicis Principibus etiam praescribi posse ; aliaque hisce similia. Atqui haec omnia erronea sunt, et fidei catholicae repugnant. Ergo etc.

74. *Ob.* cum Schenkl *Instit. Iur. Eccles.* §. 176. Concordata *vera pacta* esse, evincunt 1°. actorum series; 2°. inscriptio, nomen, ac verba concordatorum; 3°. confessio ipsorum Pontificum; 4°. observantia perpetua; 5°. indoles (independens) societatis civilis. Ergo etc.

R. Ad singula:

a) Ad 1um. *Nego Ant.* Actorum siquidem series nihil aliud demonstrat, nisi post aliquas turbas concordata iniri consuevisse. Id autem si evinceret, eadem vera pacta esse, statuendum foret, coortas turbas nonnisi veris pactis, nunquam beneficiis sedari posse. Id autem in genere est falsum; quatenus autem de materia, de qua agimus, affirmatur, est etiam absurdum; quandoquidem eiusmodi ea est, quae verum ac proprie dictum pactum ordinario ac regulariter admittere non potest (73, II. III).

b) Ad 2um. et 3um. *Nego Ant.* quia subiecta materia veri pacti, uti mox dictum est, incapax latiore sensu ea intelligi iubet.

c) Ad 4um. *Nego item Ant.* Quod enim quidpiam diu atque etiam perpetuo observetur, id veri pacti exclusive esse proprium, nemo dixerit: est enim et beneficii proprium iuxta notissimam regulam: *Beneficium Principis decet esse mansurum.*

d) Ad 5um. *Nego Ant.* Indoles enim societatis civilis eiusmodi est, ut circa res spirituales, vel spiritualibus adnexas, quae ordinario ac regulariter materia sunt concordatorum, nullo pacto sit independens, sed imo Ecclesiae subdita (73, I.).

ARTICULUS II.

De concordatis rite valideque ineundis.

75. Quemadmodum privatorum, ita et societatum pacta invalida esse omnes consentiunt sive desit materia licita, sive desit liber consensus.

76. Si dolo, aut errore versante circa rei substantiam consensus extortus fuerit, liberum nullo pacto eum esse, manifestum est: si ex metu gravi iniusteque incusso, licet aliqua ex parte liber dici queat, nihilominus palam est ea libertate carere, quae necessaria est ad firmiter contrahendum, adeoque, si pars laesa velit, revocari eundem posse, communis est sententia (*).

77. Materia pacti illicita est, si adversetur alicui vero proprieque dicto officio, seu verae proprieque dictae obligationi, qua contrahentes *actu* teneantur. Hinc celebris distinctio inter iura, quae alienari possunt, seu *alienabilia*, et iura, quae alienari nequeunt, seu *inalienabilia*. Inalienabilia nimirum ea dicuntur, quae cum aliquo vero proprieque dicto officio actu coniuncta sunt: cetera alienabilia.

78. Ex hac autem doctrina, quam etiam Regalistae tenent, haec sponte ac necessario dimanant:

I. Concessiones, quas ab Apostolica Sede terror atque arma extorserunt, minime firmas esse. Atque huc pertinent (praeter alias non paucas, praesertim superiore seculo labente initas) concessiones a Paschali II. Henrico V. factae, quae proinde in Lateranensi secunda Synodo merito revocatae sunt.

II. Romanos Pontifices nihil tale concedere posse, quod repugnet naturae primatus sui, atque officio a Christo Domino iisdem commisso oves eius pascendi. Unde merito S. Pius V. negavit, posse se Principibus viris facultatem perpetuo concedere admittendi, vel reiiciendi constitutiones apostolicas, licet mere disciplinares, quam facultatem dicunt *Ius Placiti regii*, praesertim si eiusmodi concessio simpliciter petatur, et sine iis conditionibus, quae Pontificii Pri-

(*) *Cf. Lessium De Iustitia et Iure lib. 2. cap. 17. Dubit. V, et VI.*

matus rationem indemnem faciant; eoque magis si petatur, tamquam *ius coronae regiae debitum;* quia sine rectae fidei dispendio non posset eiusmodi error pontificia concessione confirmari.

III. Licet Principum sit curare temporalem felicitatem regni sui, idque ad eorum officium pertineat; nihilominus neque illicita, neque invalida per se dici potest aliqua societatis civilis concessio favore Ecclesiae, eo quod temporalis felicitatis detrimentum aliquod involvat. Ratio est, quia felicitas temporalis per se ordinatur, ac proinde servire debet bono spirituali, quod est finis Ecclesiae (61); quodque inde sequitur, societas civilis non absolute et simpliciter temporalem felicitatem curare debet, sed quatenus ultimo hominis fini, idest bono spirituali, inserviat (61). Unde patet, societatem civilem per se nullo pacto agere contra officium proprium, cum aliquid Ecclesiae concedit, quod temporalem felicitatem aliquatenus impediat.

ARTICULUS III.

De concordatis rite interpretandis, ac rescindendis.

79. Conventionum, quae inter duas societates initae sunt, sive interpretatio, sive rescissio, non secus ac in iis fit, quae a privatis ineuntur, vel mutuo consensu fieri debet, vel legitimo iudicio.

80. Si societates, inter quas conventio facta est, sint omnino inter se independentes, nonnisi *mutuo consensu* authentica eiusdem conventionis interpretatio, aut rescissio fieri debet. Si alterutra ab altera dependeat sive ratione sui, sive saltem ratione rei, de qua agitur, *iudicio societatis principis standum* est (56): quo in iudicio, si de rescissione agatur, animadvertendum est, utrum de privilegio *oneroso* res sit; quo in casu ita rescissio decernenda erit, ut id quod collatum fuerat a societate, vel persona subdita, restituatur, aut ad aequitatis normam compensetur; nisi forte bonum publicum aliud omnino postulet. Hinc vel in ipsis societatibus civilibus haec passim videmus:

I. Si quis Princeps, ex. gr. Ruthenus concessionem aliquam fecerit societati, vel personae *nullatenus subditae*

ex. gr. Americanae, quae scilicet nullo pacto Ruthenorum Principi subiiciatur neque *ratione sui*, quippe quae pertineat ad nationem liberam et independentem, neque *ratione rei*, de qua agatur, quippe quae extra Ruthenorum territorium sita iam sit; communi inter omnes nationes iure certum id haberi, eundem non posse amplius concessionem a se factam arbitrio ac iudicio suo revocare, aut interpretando moderari. Ratio est, quia iudicium auctoritate sua ferre, actus est iurisdictionis; in personam autem non subditam nulla est iurisdictio.

II. Privilegia, quae societati ac personae sibi subditae a Principe concessa fuerant, ab eodem eiusve successoribus, si qua controversia orta esset, declarata atque interpretata semper fuisse, eadem vero, praesertim si gratuita essent, eiusdem Principis eiusve successorum arbitrio non raro fuisse revocata; quod quidem, interveniente causa publica, merito fieri potuisse, imo et debuisse, scriptores consentiunt, eoque magis, quo magis ad Regalistas pertinent. (Cf. *Card. De Luca in Tract. de officiis venalibus, disc.* 93. *de Regalibus etc.*).

III. Ea etiam, quae caussam onerŏsam habent, revocata a Principibus non raro fuisse; idque aliquando etiam sine ulla compensatione, cum scilicet necessitas publica id exigeret, cuius rei gravissimi testes sunt syngraphae publicae aeris alieni, quas *cedulas* vulgo appellant, uno edicto sine ulla compensatione apud plurimas nationes non una vice sublatae (*).

Haec autem cum Regalistae non modo admittant, verum etiam propugnent, fateri iam ultro debent haec, quae inde dimanant.

81. *Prop.* I. Societas civilis, si quid Ecclesiae concessit, id non potest arbitrio suo vel interpretando moderari, vel quod gravius est revocare.

Prob. Concessio facta Ecclesiae a societate civili est concessio facta non subdito (45 *ad* 60). Atqui nemo potest concessionem non subdito factam arbitrio suo revocare, vel interpretando moderari (79, I.). Ergo etc.

(*) *Cf. de tota huius articuli materia Suarez De Legib. Lib. VIII. cap.* 37: *et Card. De Luca in Tract. De Officiis venalibus Disc.* 93. *De Regalibus etc.*

Confirmatur. Quidquid Ecclesiae concessum est, id fini Ecclesiae proprio, hoc est fini spirituali addici necesse est. Atqui in iis, quae fini spirituali sunt addicta, societas civilis nullam habet potestatem. Ergo etc.

82. *Prop.* II. Ecclesiae est de vera concordatorum interpretatione iudicium ferre, concessionesque a se factas, si ratio finis sui, hoc est salutis aeternae, id exigat, revocare; nisi forte res sit de rebus temporalibus, a quibus ante consummationem contractus ratio spiritualis iisdem adnexa ab ipsa Ecclesia legitime separata fuerit.

Prob. Principis est interpretari, et si iusta exigat causa, revocare privilegia personae subditae a se concessa (79, II). Atqui concordata rationem habent privilegiorum (73, I); in iis autem Ecclesia habet rationem principis, societas civilis personae subditae (*). Ergo etc.

Ratio autem limitationis, quam in propositione posuimus, haec est; quia in iis rebus, a quibus ratio spiritualis omnino separata est, deficit fundamentum principatus Ecclesiae in societatem civilem.

83. *Prop.* III. Regulariter loquendo, fieri non potest, ut Ecclesia in rescindendis concordatis ad aliquam compensationem societati civili praestandam stricto iure teneatur.

Prob. Compensatio nonnisi in onerosis privilegiis rescindendis stricto iure debetur. Atqui, regulariter loquendo, concordata inter Ecclesiam et Societatem civilem inita privilegiis onerosis nullo pacto accenseri possunt (73, II). Ergo etc.

APPENDIX

De Concordatis cum Societate civili haeretica vel infideli.

84. Discrimen, quod in concordatis ineundis intercedit inter catholicam, atque inter haereticam aut infidelem societatem civilem, non ex eo capite repeti potest, quod earum respectu indoles ac natura concordatorum diversa esse dici debeat. Cum enim eorum natura ex materia, circa quam

(*) *Cf. Schmalzgrueber Ius Eccles. Tit. de Praeb. num. 270. et seq.*

versantur, eruenda sit, quae spiritualis est, vel spirituali adnexa (73, I), multo sane magis eius vis retinenda est cum haereticis, atque infidelibus, quam cum catholicis, quandoquidem graviori ratione, quam catholici, sunt illi incapaces cuiuslibet circa eiusmodi materiam administrationis ac iuris. Est igitur totum discrimen in eo, quod infideles atque haeretici veritati obsistentes Ecclesiae catholicae praerogativas, et auctoritatem non agnoscunt. Inde fit, quod Ecclesia abstinere quidem potest a quibusvis concordatis cum iisdem ineundis, sed si e re sua, id est populorum saluti opportunum existimet, eadem pacisci, ita eam se gerere oportebit, ut pacti speciem in iisdem retineat, eaque perinde ac pacta servet. Quod si tractu temporis res eo deveniat, ut, circumstantiis mutatis, eadem servari sine detrimento salutis aeternae, adeoque sine peccato non possint, rem primo componere mutuo consensu curabit; sin id minus succedat, a fide data merito recedet, quandoqnidem eo in casu vera etiam pacta vi sua deficiunt. *Cf. Leg. Quia* 16. *ff. Ad Leg. Aquil.*

At, inquies, hac lege meliore conditione erunt Haeretici atque Infideles, quam Catholici. *R. Nego.* Quamdiu enim ratio ac fides cuipiam steterit, manifestum eidem erit, meliore conditione eum esse, qui certius ad vitam aeternam dirigitur, prae cuius dispendio quidquid temporalis lucri est verum est detrimentum (*Phil. III.* 7, 8): certius autem dirigitur qui a Dei, adeoque ab Ecclesiae ductu magis pendet. Deinde ad praxim quod spectat, experientia docet, eadem ac fortasse maiore longanimitate ac prudentia se gerere Ecclesiam solere cum catholicis, ac cum ipsis haereticis atque infidelibus.



LIBER SECUNDUS

DE SUBIECTO POTESTATIS ECCLESIASTICAE, SEU DE PERSONIS IN QUIBUS ILLA IURE RESIDET.

1. Generalis regula, unde tota exercenda est doctrina de legitimo potestatis ecclesiasticae subiecto, qui nempe ii sint, in quibus ecclesiastica potestas iure residet, et quanta in singulis resideat, voluntas Christi est, sive immediata, sive mediata. Cum enim Ecclesia sit societas non arbitrio hominum coacta, sed Christi voluntate instituta, manifestum est, ab eo esse repetendam eiusdem ordinationem et constitutionem; adeoque cognoscendum ab eo ipso esse, quinam in ea imperare, et quatenus possint, quive parere debeant. Cumque idem ipse potuerit, quod reapse fecit, facultatem alicui conferre alios etiam praefectos in Ecclesiae administratione adiiciendi, quo nempe facilius, adaucto fidelium numero, illa exerceatur; hinc sane monuimus, eam Christi voluntatem, non modo *immediatam*, verum etiam *mediatam* esse posse. Quapropter tria in capita materiam huius libri distribuemus, in quorum *primo* constitutionem Ecclesiae, qualis a Christo instituta est, exponemus; in *altero* referemus praecipua eorum systemata, qui a vera Ecclesiae constitutione aberrarunt, eaque breviter refutabimus; in *tertio*, qui annulus ferme erit, quo ius publicum ecclesiasticum cum iure ecclesiastico privato, idest cum iure canonico proprie dicto colligetur, legitimos iuris canonici fontes quodam veluti corollario aperiemus, ut nempe de singulis legibus, quae forte proponantur, iudicium ferri possit, utrum verae leges, utpote quae a legitimo fonte profectae sint, haberi debeant, necne.

CAPUT PRIMUM

DE VERA ECCLESIAE CONSTITUTIONE.

2. Brevem conspectum, et summa veluti capita ecclesiasticae constitutionis exponimus, ne alterutrum ex his duobus vitiis incurramus, ut vel manca sit, ea omissa, eccle-

siastici iuris doctrina, suoque fundamento destituta, vel eadem crambes, si plenius exponi velit, heic recoquatur, quae in Theologia iam apposita est. Itaque singulorum capitum diligentem demonstrationem si quis cupiat, is adeat Theologos; heic totum simul systema, quo Christus Ecclesiam suam ordinavit, singularumque partium cohaesionem uno veluti obtutu comprehendendam ex praesupposita theologica veritate habere contentus sit.

3. Ita igitur ex Theologia constat, ordinasse Christum Ecclesiam suam.

I. Totum Ecclesiae corpus duas in classes distingui voluit, quarum altera populum contineat, quo in numero qui censentur, *Laici* audiunt, altera coalescat ex illis, quibus cura finis proximi Ecclesiae, idest sanctificationis animarum, adeoque potestas ecclesiastica est demandata, iique *Clerici* appellantur.

II. Cum eiusmodi Ecclesiae finis, idest sanctificatio animarum, habeatur per *gratiam sanctificantem,* quam Christus per *sacramenta* haberi voluit, accedente *cooperatione hominis* sive per idoneas dispositiones ad illam acquirendam, sive per bona opera ad eam conservandam et augendam, ad duo capita curam finis Ecclesiae Clericis commissam direxit: 1°. ad efficienda sacramenta; 2°. ad fideles recte et quantum fieri potest efficaciter dirigendos, ut divinae gratiae, quae per sacramenta confertur, quemadmodum par est, cooperentur: unde duas constituit in Ecclesia potestates, quae *Hierarchiae* appellantur, alteram *Ordinis,* alteram *Iurisdictionis,* quarum prior definitur *Potestas, quae ordinatur ad efficienda sacramenta;* altera dicitur *Potestas pascendi,* seu gregem Christi regendi tum quoad intellectum per doctrinam rectae fidei, quae praecepti ritu credenda proponitur, tum quoad voluntatem per verum proprieque dictum imperium, quo in tota mediorum oeconomia fideles dirigantur, ita ut ipsa quoque sacramentorum dispensatio ad eiusmodi potestatis officium pertineat.

III. Ordinis potestatem indelebilem, eique, cui semel collata sit, perpetuo inhaerentem esse voluit, licet ea utendi facultas a iurisdictione pendeat; unde si quis potestate ordinis instructus sacramenta sui ordinis propria conficiat,

cum tamen iurisdictionem non habeat, is *illicitum* actum aget, sed tamen *validum;* quandoquidem applicatione virium sufficientium consequi effectum necesse fuit; eaquepropter *ex opere operato* dimanare effectus in sacramentis dicitur: nisi tamen res sit de *sacramento Poenitentiae,* quod esset etiam *invalidum,* quia administratio sacramentalis *poenitentiae* habet conditionem *iurisdictionis* intrinsece et essentialiter adiunctam; siquidem fieri debet *more iudicii,* cum cetera conferantur simpliciter *more beneficii.*

IV. Eandem hanc ordinis hierarchiam distinxit in Episcopos, Presbyteros, et Ministros, non eodem tamen potestatis gradu, sed longe diverso, ita ut summus ac plenus sit in Episcopis, infimus in Ministris.

V. Hierarchiam autem iurisdictionis non immobiliter adhaerentem, sed amovibilem fecit; eamque constituit plene quidem ac perfecte in Romano Pontifice, et deinde in Episcopis, qui proinde proprio nomine *Pastores* appellantur; quadantenus autem etiam in Presbyteris et in Diaconis, quorum etiam ordines dicuntur proinde *hierarchici:* ea tamen omnia hoc modo ac discrimine.

a) Ut Romanum Pontificem 1°. Vicarium suum esse voluerit, totiusque Ecclesiae fundamentum; adeoque et *centrum unitatis,* cui qui adhaereant, ii tantum in Ecclesia sint; et *Principem totius ecclesiae,* qui plenam, et universalem in eadem habeat potestatem, quam Primatum dicunt: 2°. ut *infallibilitatis dono* ad fidelium intellectus in doctrina fidei atque morum certissime dirigendos eundem instruxerit: 3°. ut rationem eius successionis hisce limitibus determinarit, ut successoris sibi constituendi facultatem (nisi forte extraordinaria quaedam, et proprie dicta necessitas id imperet) eidem denegarit, modum tamen electionis, ipsosque electores designandi ius tribuerit.

b) Ut Episcopos constituerit proprie dictos ac perfectos Pastores, sed Romano Pontifici subiectos hac quidem lege ac ratione: 1°. ut eorum munus atque institutio eo tendat, ut praeter Romanum Pontificem, qui solus totam Ecclesiam administrare non posset, alii quoque praesto sint, qui in partem eius sollicitudinis vocentur, quique sint habiles ad fideles sibi creditos perfecte regendos, eandemque ob ratio-

nem ad supremum hierarchiae ordinis gradum sint evecti; adeoque ea potestate instructi sint, qua *in genere* habiles facti fuerint ad omnia media, quae ad finem necessaria sint, administranda; *in specie* autem quoad *sacramenta* ut omnia conferre valeant; potissimum autem, et iure sui ordinis proprio *ordinem, et confirmationem;* atque hanc quidem *iure ordinario;* illum, si de hierarchicis gradibus res sit, *iure absolute exclusivo,* si de ceteris (infra VI), item *ordinario iure;* quoad *directionem intellectus* ut sint iudices fidei et doctrinae morum, ita tamen ut infallibilitatis donum coniunctim, idest simul congregati eatenus habeant, quatenus cum Romano Pontifice consentiunt, singuli autem nullo modo, adeoque in rebus dubiis ad eundem Romanum Pontificem, qui et infallibilis et centrum unitatis est, caussam remittere debeant: quoad *directionem voluntatis* ut veri perfectique imperii iura habeant: 2°. ut totam hanc potestatem nonnisi dependenter a Romano Pontifice exercere debeant, ita ut eiusdem sit non modo loca determinare, in quibus illam exerceant, verum etiam eandem et suspendere, et restringere, et si necessarium visum fuerit, alio submisso pastore, etiam inhibere: 3°. quod consequens est, ut iurisdictio episcopalis derivetur in singulos auctoritate sive immediata, sive mediata Romani Pontificis, quae dicitur *legitima missio;* non autem ipsa consecratione, seu episcopalis ordinis susceptione, qua tantum potentia confertur sacramenta conficiendi, et habilitas ad gregem Christi regendum, non autem facultas eiusdem et potentiae et habilitatis exercendae.

c) Ut Presbyteros tamquam Episcoporum adiutores instituerit non omni tamen in munere, sed in administratione tantum sacramentorum exceptis confirmatione et ordine, et in verbi Dei praedicatione; idque hisce legibus: 1°. ut totam hanc potestatem nonnisi dependenter ab Episcopo (multo autem magis a Romano Pontifice) exercere possint; ita ut regulariter ipsius Episcopi sit eandem et suspendere et restringere, et, si ratio id postulet, etiam inhibere: 2°. quod consequens est, ut facultas exercendi presbyteralia munera derivetur in singulos auctoritate Episcopi, vel Romani Pontificis, non autem ipsa ordinatione, qua tantum potentia confertur conficiendi sacramenta presbytera-

lis ordinis propria, non autem facultas eandem potentiam exercendi.

d) Ut denique Diaconos ea in re hierarchicos effecerit, ut vi sui ordinis habiles sint ad sacramenta baptismi atque Eucharistiae administranda, et ad praedicationem verbi Dei exercendam, ita tamen, ut nonnisi auctoritate Episcopi haec faciant.

VI. Facultatem fecit Ecclesiae, idest Romano Pontifici, aut Episcopis una cum eo coniunctis, alios gradus, prout ipsa expedire censuerit, instituendi tum in hierarchia iurisdictionis, tum etiam in hierarchia ordinis, hoc tamen sensu, atque modo:

a) *Quoad hierarchiam ordinis*, ut non intelligatur facta esse facultas inducendi novam quandam potestatem ordinis, sed ex officio ultimi ordinis hierarchici minores quasdam partes secernendi, unde alii ordines eodem minores constituantur.

b) *Quoad hierarchiam iurisdictionis* 1°. ut Romano Pontifici data fuerit facultas vocandi alios in partem suae sollicitudinis non modo in ea re, quae spectat ad *agnos*, idest ad populum, instituendo ex. gr. magistratus alios ecclesiasticos, qui licet episcopali ordine non instructi episcopalem tamen iurisdictionem in plebem sibi assignatam exerceant, iis exceptis, quae episcopalem ordinem omnino exigunt; quod videmus factum fuisse in Abbatibus, quos dicunt *Nullius:* verum etiam in ea re, quae spectat ad *oves*, idest ad Episcopos, instituendo ex. gr. certos iurisdictionis gradus, quibus adnexa sit aliqua in ipsos Episcopos iurisdictio, ut cum impar sit Sedes Apostolica opportuno tempore ac prompte omnibus providere sive ob eorum numerum latius excrescentem, sive ob nimiam locorum distantiam, praesto sint alii, qui Apostolicae curae partes expleant, quod factum videmus in institutione Patriarcharum, Primatum, Metropolitarum; vel etiam mittendo, cum necessarium visum fuerit, extraordinarios aliquos praefectos, qui suam potestatem in ipsos Episcopos exerceant; quod item videmus factum fuisse, atque identidem fieri in Vicariis Apostolicis et in Legatis: 2°. ut pari modo etiam Episcopis liceat (nisi altiore potestate prohibeantur) constituere in ea Ecclesiae parte, quae

sibi commissa est, quamque dicunt *Dioecesim*, alios inferiores se rectores quibus partem suae potestatis committant, iis semper exceptis, quae exerceri ab iis nequeant ob sacri ordinis ad ea necessarii defectum.

VII. In primordiis Ecclesiae extraordinarias quasdam facultates Apostolis tribuit, quas tamen in eorum successores Episcopos noluit dimanare.

Atque haec summa est divinae Ecclesiae Constitutionis, unde tota doctrina de vero legitimoque Ecclesiasticae potestatis subiecto hauriatur. Heic enim videre est 1°. Quis in tota Ecclesia, quique in singulis eiusdem partibus imperent, easdemque partes cuius sit definire, ac distribuere: 2°. Quanta in singulis sit potestas: 3°. Quatenus iisdem inhaereat: quae sane tria sunt, ad quae facile referas quaecumque de cuiuslibet potestatis subiecto quaeri possunt. Liceat igitur ad alterum caput progredi, quod est de praecipuis erroribus, qui Ecclesiae constitutioni adversantur.

CAPUT SECUNDUM

DE PRAECIPUIS SYSTEMATIS, QUAE A VERA ECCLESIAE CONSTITUTIONE ABERRARUNT.

4. Quae de eiusmodi systematis dicenda sunt, duas in partes distribuimus, in quarum altera eadem exponemus, in altera brevi quadam ratione refutabimus.

§. I.

Exponuntur praedicta systemata.

5. Marsilium Menandrinum, quem Patavinum dicunt, omnium patriarcham, quippe quem ceteri plus minus exscripserunt, facile dixeris. Hic Ludovico Bavaro adblanditus, qui saeculo XIV. Romanos Pontifices oppugnabat, ecclesiasticam constitutionem pervertit libro edito, quem inscripsit *Defensorium pacis;* quo in libro haec docuit:

I. Summam potestatem esse in toto coetu fidelium, idque iure ipso naturae societatibus omnibus communi.

II. Hanc potestatem translatam deinceps fuisse in Prin-

cipes, si essent fideles, sin infideles, in Episcopos non sine tamen subiectione tum populo ipsi, tum Principibus.

III. Propriam Ecclesiae potestatem non esse in cogendo, sed in monendo tantum, in concionando, aliisque huius generis.

Hic damnatus est a Ioanne XXII pluribus editis constitutionibus, praesertim vero *Const. Licet*, 23. *Oct.* 1327: refutatus vero ab Alberto Pighio *De Hierarchia Eccles. Lib. V.*

6. Ex disciplina Marsilii sunt primum Protestantes, qui eiusdem librum oblivioni iam traditum in vulgus ediderunt. Hi tamen more suo innumeras in sententias scissi sunt, quas referre haud modicum interest, ut ex tacita eorum confessione appareat, eos in perpetuo errore versari, nihilque assignari posse, in quo securi conquiescant. En igitur quid de eorum systematis referebat Schenkl hoc seculo ineunte *Instit. Iur. Eccl. Prolegom.* §. 46. *in nota.* « Protestantes nova identidem cudunt Ecclesiae systemata, quorum *decem* inter se diversa Pfaffius, nec pauciora enumerat Moshemius; sed multo plura excogitata fuisse, in diesque pene nova procudi ex Protestantium scriptis luculentum est. Sane 1°. olim placuit pluribus *inaequalis*, hodie *aequalis* (plane democraticae) Ecclesiae systema plerisque placet. 2°. Alii maluere Ecclesiam liberrima natam confoederatione, et societatem prorsus *voluntariam:* alii Christi voluntate determinatam dixere et *legalem*. 3°. *Peculiaris* societas aliis, aliis *Reipublicae* (societati civili) *innexa* Ecclesia visa est, et ab illa indistincta. 4°. Alii omne ab Ecclesia arcent imperium; alii Ecclesiam subiiciunt imperio totius societatis; alii delecto ministrorum coetui; alii universis ministris; alii magistratui politico, sive Principibus, quibus *ius sacrorum* tribuunt. 5°. Eiusmodi ius sacrorum alii ex iure naturali, alii ex sacra scriptura, alii ex pace religiosa, seu Westphalica, alii ex consuetudine, alii ex populorum cessione tacite facta Principibus asserunt: alii ex ipsa boni publici tum ecclesiastici, tum politici ratione seu necessitate, alii ex iure devolutionis vindicant. 6°. Novissime turba maxima iura Ecclesiastica dispescit *in maiestatica, et collegialia,* quorum illa Principi, ista fidelium coetui per se competant. At, dum de

» utrisque discernendis res est, foede ipsimet scinduntur.
» Nam 7°. alii e numero in primis Iurisconsultorum in Principem se se exhibent liberaliores: aut brevi manu omnia
» Principi vindicant, aut saltem quae *maiestatica*, quaeve
» *collegialia* sint, haud operose disquirendum autumant,
» praesertim si qui exercere ea iura debeant Principes sint
» Protestantici, non autem Catholici. Alii e coetu maxime
» Theologorum utraque dicunt esse probe distinguenda, eo-
» quod omnia sine discrimine et absolute transferri in Prin-
» cipem, aut certe sine ministrorum Ecclesiasticorum inter-
» ventu recte administrari ab eo nequeant; imo vero haud
» rite administrata a populo revocari possint, et retrahi.
» Ceterum 8°. systematum varietate et amore ducti alii
» ipsum Christum Dominum fuisse legislatorem negant; alii
» non Christo quidem, sed tamen Apostolis potestatem *le-*
» *gislatoriam* aut certe *exequutoriam* abiudicant; alii eam
» ceu personale privilegium divinitus datum, sed ita, ut cum
» ipsis expiraret, iisdem permittunt. Rursus 9°. imperium,
» seu ecclesiasticam quandam potestatem alii iure non pro-
» prio, sed *administratorio* ab Apostolis ceu delegatis, po-
» pulique officialibus exercitam fuisse admittunt; atque eo-
» dem modo non divina, sed humana ordinatione et populi
» voluntate Apostolis successisse dicunt Episcopos, qui qui-
» dem lapsu temporis delegatam a populo potestatem tam-
» quam sibi propriam usurparint; donec seculo XVI, abdi-
» catis (inter Protestantes) Episcopis, Ecclesia in ius sibi
» proprium postliminio esset restituta. Quo ex tempore, in-
» quiunt, potestatem ecclesiasticam, vel exercitium eiusdem
» in principes esse translatum, aut iisdem, accedente populi
» consensu, firmatum; aut certe ex eo tempore per Princi-
» pes, cum utilius id fieri a nullo alio posset, iuste recte-
» que eam potestatem affirmant administrari etc. Itaque
» quod Moshemius de Lutheranae Ecclesiae systemate can-
» dide fatetur, id iure optimo hodiernis etiam Protestanti-
» bus Mendelsonius obiicit: *In hoc aetatis nostrae lumine*
» *Protestantium de iure ecclesiastico libri didactici extri-*
» *cari hactenus ab incerta caecaque haesitatione non po-*
» *tuerunt. Ad extrema adduci, ita ut iura omnia penitus*
» *dimittat, Clerus non patitur; neque tamen quae illa sint*

» *iura, assignare quispiam valet. Iudicari et finiri lites*
» *percupiunt; at iudicem supremum nullum admittunt. De-*
» *nique libertatis atque independentiae ecclesiasticae men-*
» *tio perpetua fit, cum nemo tamen indicare possit, ubi ea*
» *reperiatur*. Quae vero proximis his annis, et fere in dies
» nova, olimque prorsus inaudita de Ecclesiae christianae
» systemate scribant Protestantes plures, uemo, nisi in eo-
» rum scriptis prorsus sit hospes, ignorare poterit. » Hacte-
nus Schenkl de Protestantium systematis (*).

7. Alter Marsilii Patavini surculus est *Edmundus Richerius* Collegii Sorbonici aliquando syndicus, quo ex loco eiusdem Collegii decreto ob errores suos deturbatus est. Huius systema hisce capitibus continetur.

I. Cum Marsilio summam potestatem in ipso ponit fidelium coetu, cui proinde *immediatius atque essentialius* (ut ipse loquitur) claves a Christo traditas fuisse affirmat: unde ait, nullam esse Ecclesiasticam legem, nisi quae consensu populi, idest coetus fidelium fuerit confirmata.

II. *Potestatem ministerialem* universo ordini hierarchico, idest Romano Pontifici, et Episcopis, quos *Apostolorum* loco esse, et Presbyteris, quos *discipulis* successisse ait, ab ipso Christo *immediate* traditam esse, licet diverso gradu, asserit: ita ut Episcoporum, et Presbyterorum, in specie autem Parochorum iurisdictionem non a Romano Pontifice, vel ab Ordinario, sed *immediate* ab ipso Christo derivet.

III. Romanum Pontificem totius Ecclesiae *caput ministeriale* dicit ad unitatem in toto orbe Christiano conservandam per custodiam et exequutionem canonum, eiusque potestatem regimine temperatam esse *aristocratico*, quandoquidem, ait, Ecclesiam inconsultam, dissentientem, invitam, vel inauditam obligare ipse nequit: unde plenitudinem auctoritatis pontificiae ita definit:

a) Ut ad Ecclesias particulares per mundum dispersas, sed nequaquam in Ecclesiam universalem in concilium congregatam extendatur.

b) Ut iuridice atque auctoritative legem divinam, naturalem, et canonicam interpretetur, nec non etiam ut de ca-

(*) Cf. quae de variis fidei formulis ab Arianis eorumque fautoribus invectis babet S. Hilarius *Lib. 2. ad Constantium.*

nonibus conciliorum generalium eo in casu dispenset, quo ipsum concilium, si esset congregatum, dispensaret, nempe pro communi Ecclesiae, non privatorum bono.

c) Ut necessitate postulante (quia non semper haberi concilium potest) leges aut canones condat *in actu primo:* nam *actus secundus*, ait ipse, idest formalis et actualis causa obligandi ab Ecclesiae consensu dependet.

IV. Eadem fere proportione Episcoporum potestatem in propria dioecesi definit, quandoquidem eius sententia ne Episcopus quidem subditos suae dioeceseos absque eorum consensu *per presbyteros curatos* praestito obligare potest.

V. Praerogativam infallibilitatis toti Ecclesiae (quo nomine populum seu coetum fidelium semper intelligit) fuisse collatam asserit, ipsi autem Petro nullo modo; ac proinde Romanum Pontificem ante assensum Ecclesiae in doctrina fidei atque morum non esse infallibilem.

VI. Ecclesiae neque territorium, neque potestatem coactivam esse; adeoque de mediis necessariis ad beatitudinem suasive tantum ac directive, non coactive, poenas temporales irrogando, iudicare posse ait: Princeps vero politicus, ut dominus reipublicae ac territorii, eius sententia vindex est, atque protector legis divinae, naturalis et canonicae; unde

a) Leges figere, et gladium distringere eum in finem posse, ait.

b) In speciem autem eundem eo nomine esse affirmat iudicem legitimum appellationum, quas *ab abusu* vocant.

Atque hoc quidem est celebre Richerianum systema ex Marsiliano, ut patet, conflatum. Eiusdem auctor damnatus est a provinciali synodo Parisiensi anno 1612, mense martio; tum a provinciali synodo Aquensi eodem anno, mense maio; tum pluribus decretis sacrae Congregationis Indicis, idest 10 maii 1613 sub Paullo V; 2 decembr. 1622 sub Gregorio XV; 4 martii 1709 sub Clem. XI; denique peculiari edito Brevi ab Innocentio XI. anno 1681, quo Brevi historia Conciliorum generalium eiusdem Richerii damnata est, quod in ea systema suum saepe defendit. Ipse autem Richerius bis, ut videtur, simulato, tertium sincero animo doctrinam suam reprobavit anno, antequam vita cederet, idest 1630, qua de re consulendae sunt ephemerides Trevol-

sienses mensis ianuarii anni 1703. De toto autem eiusdem systemate consuli potest *Veith Richerii syst. confutatum, et Charlas de Libert. Gallic. Lib. XII. alias IX.*

8. Ex Edmundo Richerio, et ex ipsis Protestantibus totus prodit *Febronius,* quo sub nomine latet Nicolaus Hontheim Suffraganens Trevirensis: nisi quod huius systema, quod anno 1763 in libro inscripto *De Statu Ecclesiae* edidit, Primatum Romani Pontificis maxime petit. Ut plenior eiusdem notio habeatur, triplicem in partem dividi potest, in *doctrinalem,* in *historicam,* in *practicam.*

I. Quoad *doctrinalem* haec docet:

a) Ecclesiae statum negat esse *monarchicum:* licet autem non obscure toti fidelium coetui claves fuisse traditas doceat, nihilominus de ea re non admodum est sollicitus, cum totus eius finis in deprimendo Romano Pontifice sit.

b) Aliquem *Primatum* in Ecclesia necessarium esse ait; nihilominus quod Romanae Sedi fuerit affixus, id ab Ecclesiae placito, non a divino iure esse repetendum tradit; adeoque fieri posse, ut ab ea revocetur.

c) Naturam ac fundamentum huius Primatus in ea re esse statuit, ut unitas servetur; unde haec deducenda esse monet: 1°. *Primatum* recte appellari *Primatum consociationis;* 2°. iura, quae de eodem praedicantur, duas in classes esse distinguenda, in *essentialia,* quae eidem perpetuo inhaereant, et in *adventitia,* quae amoveri possint, et ut plurimum debeant: 3°. essentialia ea tantum habenda esse, quae sint in unitate legitimo modo curanda; cetera dici debere *adventitia.*

d) Legitimum modum huiusce Primatus officium exequendi, idest unitatis curandae esse tantum in *advigilando* et in *dirigendo,* consilii scilicet, non coactionis more; unde consequi ait: 1°. Primatum illum *consociationis* dici etiam oportere *inspectionis,* et *directionis:* 2°. Excommunicationis ferendae ius catenus ad illum pertinere, quatenus (ita Febronio sentiente) excommunicatio per se non sit actus iurisdictionis: 3°. Eandem habere robur non posse, nisi ab Ecclesiis particularibus sustineatur: 4°. Quam vero quispiam meritum se non esse sentiat, non secus ac ceteras contumelias, ferendam esse patienter et contemnendam.

e) Sedulo monet hunc qualemcumque Primatum a Romano Pontifice in totam Ecclesiam haberi *distributive* tantum non *collective;* adeoque 1°. Concilii generalis auctoritatem ipsum sibi subiicere Romanum Pontificem, eumque tum quoad fidem, tum quoad mores iudicare: 2°. Idem illud neque necessario a Romano Pontifice indicendum esse, neque, invitis Episcopis, suspendi aut dissolvi ab eodem posse, neque finitum cum fuerit, eiusdem indigere approbatione: 3°. Pari ratione eiusdem decreta, licet ea sint, quae sua natura revocari queant, idest ad disciplinam pertinentia, a Romano Pontifice abrogari aut mutari nullatenus posse: 4°. Quod denique consequens est, *appellationem* a Romani Pontificis sententia ad Concilium Generale regularem esse ac legitimam.

f) *Infallibilitatem* non modo Romano Pontifici, verum etiam *Concilio Generali,* veluti dotem eiusdem certam, negat (*De Statu Eccl. Cap.* 1. §. 9); dat tamen Ecclesiae.

g) Vim obligandi ne Concilium quidem Generale quoad decreta disciplinaria habere docet sine fidelium acceptatione.

h) Episcopos singulos immediate a Christo accepisse ait *potestatem iurisdictionis non secus ac potestatem ordinis;* atque inde sequi: 1°. Eorum potestatem tum circa fidem, tam circa disciplinam *plenam et absolutam* esse; unde necessitatem recurrendi ad Sedem Apostolicam in *caussis fidei* et in ceteris *caussis maioribus,* vel petendi, cum opus est, ab eadem dispensationes ab iis legibus, quae pertinent ad ius commune ecclesiasticum, prorsus reiicit: 2°. Eandem Episcoporum potestatem, quod consequens est, coarctari nullo modo posse neque *quoad res,* neque *quoad personas;* adeoque *exemptiones Regularium, reservationes casuum* et *beneficiorum,* necnon *ius annatarum*, et quaecumque sunt huius generis alia, totidem esse abusus: 3°. Romanum Pontificem in Episcoporum dioecesibus statuere nihil posse, nisi eorundem consensu.

i) Principes seculares Canonum custodes, ac vindices esse ait etiam adversus Romanum Pontificem; ita ut etiam Concilium generale sua auctoritate indicere valeant.

II. *Quoad partem historicam* explicare contendit, qua

ratione Primatus Romani Pontificis auctoritas, ut ipse ait, exercverit. Itaque haec docet:

a) Duplici via id factum esse, alia *fortuita et inculpabili*, alia vero *dolosa et culpabili:*

b) Ad *fortuitas caussas* haec referenda esse affirmat: 1°. *Splendorem titulorum*, quibus Romanus Pontifex, eiusque sedes condecorata est, figuratasque et *ampullatas*, ut ipse ait, ea de re Patrum locutiones: 2°. *Dignitatem* Sedis Romanae tum quod *Apostolica* sit, tum quod *Patriarchatum* totius occidentis adnexum habeat, cuius tantum ratione (proindeque occidentalium tantum Ecclesiarum respectu) eandem ait vocari *Matrem* et *Magistram:* 3°. *Consuetudinem Episcoporum* tum referendi ad eundem graviores caussas, tum etiam deferendi ad ipsum plurium negotiorum, ut ipse loquitur, arbitratum sive ob receptum morem, ut idem asserit, eas sedes consulendi, quae digniores et antiquiores essent, sive praesertim ob personalem Romanorum Pontificum doctrinam ac sanctitatem:

c) Ad *dolosas et iniquas* pertinere, 1°. *Complures proprie dictas usurpationes* a Romanis Pontificibus ausu temerario perpetratas: 2°. *Falsas decretales* (quas potissimum fuisse caussam asserit exaggerati Primatus) ab Isidoro confictas, et a Romanis Pontificibus magno cum gaudio exceptas.

III. *Quoad partem practicam* totus est in tradendis remediis, quibus Romanorum Pontificum auctoritas coerceatur; eaque *septem* esse ait, nimirum

a) Apta in eam rem populi instructio:

b) Concilium generale liberum:

c) Conspiratio Episcoporum per concilia nationalia fovenda:

d) Vis atque auctoritas catholicorum Principum:

e) Retentio Bullarum apostolicarum tum per Episcopos, tum per Principes seculares, idest *Placitum*, ut aiunt, sive *episcopale* sive *regium*.

f) Aperta *resistentia*, quam legitimam vocat:

g) *Appellatio ab abusu;* idest appellatio ad Principes seculares adversus Ecclesiae, praesertim vero ipsius Romani Pontificis sententias.

9. Iam vero huius systematis *scopus*, quem sibi propo-

suisse Febronius affirmat, reconciliandi Ecclesiae Catholicae Protestantes, ab ipsis Protestantibus derisus est, inter quos consuli possunt *Scriptores Lipsienses in Novis Actis* Eruditorum an. 1764 *pag.* 1, ubi recensionem operis Febroniani exhibent, qui posteaquam opus egregie laudarunt, veluti Protestantium doctrinam maxime sapiens, ita ut *hominem cum Luthero comparent,* addunt tamen deinceps, clarissimum virum oleum et operam perdere, cum sibi persuadet, remoto Primatu Romani Pontificis, Protestantes ad Ecclesiam Catholicam redire posse: multa enim alia superesse aiunt, in quibus ipsi a Catholicis dissident. Eademque de Febronio scripsit *Iablonskius Instit. Hist. Christ. Tom. III pag.* 146, *et Bahrdtius in Dissert. contra Febronium* §. *VI. VIII. et XVI.* ambo Protestantes. Totum vero febronianum opus reprobatum ac damnatum est, publicis datis litteris, ab Archiepiscopis, vel Episcopis Moguntino, Trevirensi, Coloniensi, Pragensi, Bambergensi, Constantiensi, Augustano, Frisingensi, quemadmodum videre est apud Zacaria *in Antifebronio vindicato Tom.* 1. *in Appendice post Caput* 1, ubi ipsae horum litterae referuntur; praesertim vero damnatum est pluribus decretis sacrae Congregationis Indicis, idest 27 *febr.* 1764, 3 *februarii* 1766, 24 *maii* 1771, 3 *martii* 1773; tum etiam ab ipso Romano Pontifice Clemente XIII, tribus Brevibus die 14 martii 1764 editis, quorum primum ad Electorem Moguntinum missum est, alterum ad Trevirensem, tertium ad Episcopum Herbipolensem, quae item legi possunt apud praedictum *Zacaria loco citato.* Denique Febronius ipse opus suum reprobavit, errorumque suorum retractationem ad Pium VI. misit, quae legi potest in Allocutione Pii VI. habita die 25 dec. 1778 in Consistorio secreto, in qua summus ille Pontifex ait, Febronium *plurima* iam accurate revocasse, de ceteris, quae Sedes apostolica emendanda esse censeret, promisisse, se sine ulla cunctatione correcturum esse. Anno nihilominus 1781 Commentarium in suam retractationem edidit, in quo plura perperam dicta adnotavit Card. Gerdilius in opusculo inscripto « *Animadversiones in commentarium etc.* » praeter quae alia quoque adnotari possunt. Denique catholice, ut videtur, sentiens obiit 2 sept. 1790. Refutatus est a compluribus; plenius autem

ac firmius a Zacaria tum *in Antifebronio* italice scripto, tum *in Antifebronio vindicato,* quod latine edidit. Ut autem appareat, qua fide Febroniani systematis sectatores amplificent adversus Romanum Pontificem Episcoporum auctoritatem, digna est, quae legatur epistola cuiusdam Episcopi in Supplemento ephemeridum ecclesiasticarum Romae edito anno 1789 pag. 83 et seqq.

10. Febroniano systemati subiicimus *Libertates gallicanas,* quarum *originem* qui praeclaro aliquo nomine honestare studet, a Concilio Turonico primo, aut saltem a S. Ludovico IX. magna cum amborum iniuria solet repetere. Vera tamen earundem origo a miserrima occidentalis schismatis aetate videtur esse repetenda, quo ex tempore, politica potestate urgente, sensim illae increvere, donec certis quibusdam sollemnibusque formulis expressae sunt tum cum, Ludovico XIV. adversus Innocentium XI. venerabilis memoriae Pontificem hostiles animos gerente, aliquot Galliarum Episcopi anno 1682 eiusdem regis iussu congregati celebrem *quinque propositionum declarationem* emiserunt. Iam igitur ad has *quinque* seu potius *quatuor* propositiones (nam quinta ad evulgationem priorum pertinet) veluti ad totidem germina, unde practica consectariorum seges plurima exoriatur, gallicanae libertates revocantur, quarum 1°. est, *Romanis Pontificibus nullam esse in Reges, atque in civilia negotia ne indirectam quidem potestatem:* 2°. *Concilii generalis auctoritatem Romani Pontificis auctoritate esse superiorem:* 3°. *Potestatem Sedis apostolicae coarctari a) per canones iam conditos, totiusque mundi reverentia consecratos; b) per consuetudines atque instituta a Regno, et ab Ecclesia Gallicana recepta:* 4°. *Romani Pontificis iudicium infallibile censendum non esse, nisi Ecclesiae consensus accedat.* Ex quibus propositionibus licet plurimae ad Ecclesiae statum practice turbandum deduci possint, tria tamen infelici celebritate insignia dimanant, quae veluti *Regni instituta* ad propositionem tertiam revocantur, idest

1°. *Appellatio ab abusu,* quae est misera illa consuetudo subiiciendi Ecclesiam Magistratibus civilibus ad eos appellando a sententiis iudicis ecclesiastici eo nomine, quod ille auctoritate sua perperam atque iniuriose usus fuerit.

2°. *Regium Placet*, idest pessima altera consuetudo, qua Constitutiones apostolicae, ipsaeque etiam Episcoporum pastorales litterae, quas dicunt *mandata*, in vulgus edi, servarique vetantur, nisi id civilis Magistratus permittat.

3°. *Regius patronatus et custodia canonum*, quo nomine libera fit Regi facultas quibuslibet Ecclesiae negotiis sese immiscendi.

Atque hae quidem sunt *libertates gallicanae*, quas celeberrimus, et quovis nomine insignis Cameracensis Episcopus Fenelonius *servitutem erga Regem*, *et adversus Romanum Pontificem licentiam* quam merito appellarit, unusquisque facile intelliget, qui ad *scopum*, ad *media*, ad *effectus* praedictae declarationis attendat. *Scopus* nimirum insinuatur propositione prima; *media* tribus sequentibus; *effectus* praecipui tribus illis continentur consectariis, quae commemoravimus, quaeque cum antea a Gallicano ipso Clero vehementer repellerentur, tum veluti iugum quoddam suscepta sunt. Iam vero praedictam declarationem reprobarunt Romani Pontifices *Innocentius* XI. per litteras in forma Brevis *die* 11 *Aprilis anno* 1682., Alexander VIII. *Const. Inter multiplices die* 1 *Augusti an*. 1690., Pius VI. *Const. Auctorem fidei* 28 *Aug*. 1794 *circa fin*. Imo ipsi reiecerunt Gallicani Episcopi, qui eam edidere, et Ludovicus ipse XIV, cuius auctoritate gesta ea omnia fuerant, litteris seorsim datis ad Innocentium XII. anno 1693.

11. Haec porro sunt praecipua systemata, quae verae Ecclesiae constitutioni adversantur. Si quis vero praeterea systema quoque Iansenianum requirat, is sciat haereseos illius asseclas systema proprium nullum habere, sed ea, quae iam exposita sunt, ac praesertim Richerianum modo aperte, modo clanculum, prout tempora ferunt, amplecti, quemadmodum colligere est tum ex doctrina Pistoriensis conventus, quam Pius VI. *Const. Auctorem fidei* damnavit, tum etiam ex doctrina Curaltii, Van Espenii, aliorumque huius furfuris scriptorum. Iam vero mentis nostrae non est, quae systemata exposuimus, eadem per singula capita refellere: id enim et temporis brevitas, et ratio prohibet, quae vetat scilicet ea heic repeti, quae in Theologia traduntur. Quapropter ut quam brevissime rem agamus, fundamenta tantum, quibus illa in-

nituntur, aggrediemur; iis enim collapsis, cetera corruant necesse est: tum vero nonnulla corollarii more suis locis adiiciemus, quae cum maxime ad nos pertineant, a Theologis praetermitti solent.

§. II.

Praedictorum systematum fundamenta convelluntur.

12. Si quis praedictorum systematum fundamenta scrutetur, facile reperiet, ea omnia *illidere in petram,* adeoque ad eam *confringi.* Id enim in iis primum est, unde cetera dependent, abolere, vel saltem imminuere *potestatem Romani Pontificis,* ut eam derivent vel *in principes saeculares,* vel *in plebem,* vel saltem *in Episcopos* sive *singillatim* sive *coniunctim* in Conciliis generalibus. Quapropter si catholicam veritatem retineas, Petri in Ecclesiam potestatem, quae in Romanos Pontifices eiusdem successores dimanavit, divinitus fuisse institutam, atque ita, ut *omnino perfecta, nullaque humana auctoritate circumscripta* sit, protinus agnosces, non modo eorumdem systematum molem, verum etiam singulas eorundem partes singulosque articulos corruere. Sit igitur

13. *Propositio:* Petri in Ecclesiam potestas ab ipso Christo ita instituta est, ut omnino plena ac perfecta sit, nullaque humana auctoritate circumscripta.

Probatur ex Io. XXI. 15, 16 *et* 17 *coll.Matth.XVI.*18, 19; quibus in locis haec manifesta sunt:

I. Agi ibidem *a*) de aliqua potestate *b*) in Ecclesiam *c*) Petro singulari modo tributa *d*) a Christo Domino. *Christus* enim est qui loquitur, isque ad *Petrum* loquitur, eum *proprio nomine,* quo nempe a singulis distinguebatur, compellando, *ipsamque eiusdem personam, addito carnalis parentis nomine,* indigitando, ac denique *expresse* eundem *a ceteris omnibus* separando - *Cum ergo prandissent, dicit* Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis (fili) *diligis me plus his?* (nempe ceteris omnibus Apostolis, qui adstabant).

Id autem est quod loquitur, ut conferat munus *pascendi* (idest *regendi Cf. Ps.* 77, *v.* 71, 72, *etc.*) *agnos et oves suas* (idest eos, qui ad *ovile* suum pertinent, quae est Ecclesia

Cf. Io. X. 1-16). *Dicit ei* (Petrus): *Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei* (Iesus): *Pasce agnos meos.... Pasce oves meas* (*Io. XXI.* 15, 17). Eadem vero animadverti possunt in altero loco, idest *Matth. XVI.* 18, 19, ubi eadem potestas Petro *promissa est*, quae apud Ioannem dicitur eidem *collata*. Iam igitur illud patet, Petri potestatem regendi Ecclesiam, quaecumque ea sit, *divinitus*, idest ab ipso Christo institutam fuisse.

II. Manifestum item est agi iisdem in locis de potestate *a*) non in partem aliquam, sed in corpus universum Ecclesiae; *b*) eademque absoluta, nulloque limite circumscripta; proindeque plena, ac perfecta, neque eiusmodi, quae ab alia auctoritate humana coarctetur. Quotquot enim sui sunt agni, omnes indistincte tradit Christus Petro pascendos; imo et agnos, et matres eorum, quae distinctio a Christo facta, ne supervacanea dicatur, speciali quodam modo indicat, omnes omnino, idest non modo plebem, sed etiam magistros ac praefectos plebis, quicumque ii sint, Petri curae committi. « *Pasce agnos meos... Pasce oves meas.* » Quod in Matthaei loco luculentius apparet, ubi Petrus *Petra* appellatur, in qua *tota Ecclesia* consistat. « *Tu es Petrus* et super hanc Petram *aedificabo* Ecclesiam meam. » Ergo potestas Petri est in universum corpus Ecclesiae.

Deinde eius potestas ita exponitur, ut sit absoluta, nulloque limite circumscripta. Etenim *a*) adhibetur verbum *Pasce*, quod exprimit potestatem instar regiae, ac plane supremam (2 *Reg. V.* 2; 3 *Reg. XVII.* 17; *Ps. LXXVII.* 71, 72, *etc.*); et insuper potestas haec regia *b*) Petro singulari modo ac seorsim a ceteris traditur (supra I); *c*) neque ullo adiecto verbo restringitur. Ait enim Christus simpliciter « *Pasce agnos* » adeoque *d*) eodem modo effertur, ac ipsa potestas Christi (cf. *Io. X.* 1-16). Quod vividius etiam declaratur in altero Matthaei loco, ubi *a*) potestas *clavium*, quae est *absoluta, et monarchica* (*Is. XXII.* 22, *Apoc. I.* 18) *b*) Petro singulari modo tribuitur, *c*) nullo limite adiecto; atque insuper *d*) *fundamentalis petrae* metaphora addita, ex qua scilicet omnia et singula, quae in Ecclesia sunt, dependeant (*cf. I. Reg. XXII.* 2; *Matth. VII.* 24, 25); quaeque *e*) potestatis ipsius Christi maxime propria est (*Is. XXVIII.* 16;

Ps. CXVII. 22; *Matth. XXI.* 42, *Act IV.* 11. *etc.).* Est igitur potestas Petri non modo *divinitus* instituta (supra I), verum etiam eiusmodi, quae sit in universum corpus Ecclesiae, eademque plena ac perfecta, nullaque humana auctoritate circumscripta.

III. Manifestum est, potestatem, de qua agitur, ut ut occasione meriti personalis collata esse Petro videatur, non esse tamen mere personalem, sed eiusmodi, quae instar feudi, quod in praemium fidei militi datum sit, et potiore etiam iure transmittenda sit ad successores. Nam agit Christus de pastore visibili gregi suo assignando, qui, aliis aliis succedentibus, nunquam interiturus erat, adeoque pastore item perpetuo, alio scilicet alii succedente, indigebat. Quod etiam clarius altero in loco indicavit, *petrae* ac *fundamenti* metaphora adhibita. Fundamentum enim tamdiu saltem stare debet, quamdiu aedificium: praesertim cum addiderit, ex eo fundamento atque petra Ecclesiam suam nunquam dimotum iri, frustra obnitentibus portae inferorum conatibus: qui tamen conatus, mortuo iam Petro, maxime extituri erant, atque adhuc extituri sunt.

IV. Manifestum etiam est, eiusmodi praedictorum locorum interpretationem, quae ex nativo verborum ac phrasium sensu elicitur, nulla alia longius petita interpretatione, neque aliorum locorum auctoritate, nisi quae sit *apertissima*, et omnino *expressa*, posse turbari. Agitur enim de locis, in quibus Christus statuit *a*) legem fundamentalem Ecclesiae, et quidem *b*) non per accidens, sed directe, et ex animi proposito. Iam vero ad sanam criticam pertinet, ut quae loca directe et ex professo de aliqua re agunt, eadem ab aliis, cum de eadem illa re sermo est, interpretationem non recipiant, sed cetera potius ab illis; proindeque ita accipi debeant, quemadmodum sonant; idque eo magis retinendum esse, cum agitur de *lege fundamentali alicuius societatis*, quam quidem pro maxima sua gravitate omnino perspicuam esse oportuit; unde in ea statuenda legislator censendus est diligenter loquutus fuisse, proprioque atque usitato sensu verba usurpasse; ita ut in hisce maxime legibus illa valeant « *Quod voluit, expressit – Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.* » Nequeunt igitur praedicta loca in

alios sensus detorqueri, neque ab aliis locis interpretationem recipere; nisi quae forte sint apertissima atque omnino expressa. Eiusmodi autem sacrarum litterarum loca, quae *expresse* restringant potestatem Petri, nullibi esse certum est, proindeque firmum manet, Petri in Ecclesiam potestatem ita divinitus institutam fuisse, ut etc.

14. Ex hac autem propositione plurima dimanant corollaria, unde praedicta systemata plane evertuntur: ex quibus pauca quaedam seligemus, quae magis usui sint; et primo quidem quae magis sint *generalia*. Inde ergo sequitur:

I. Perperam Marsilium Patavinum, ac Protestantes, nec non Richerium, ac Febronium supremam Ecclesiae potestatem plebi detulisse, et per eam Principibus secularibus, aut etiam Romano Pontifici ac Episcopis; quandoquidem sub respectu regiminis ac potestatis ea proportio posita est a Christo inter Romanum Pontificem ac plebem, quae est inter *pastorem* et *gregem*. Cum autem absurdum sit asserere, summam regiminis potestatem in ipso grege esse, et ab eodem conferri in pastorem, ita absurda sunt eorundem systemata. Quaecumque vero ex ratione, vel ex Patribus Richerius, et ex eo ceteri opponunt, ea ex misera dimanant aequivocatione, qua nempe confunditur *finis potestatis* cum ipsa *potestate*. Illud enim nemo negat, ad hunc finem traditas Petro claves fuisse, ut *in bonum ovium* iisdem uteretur. Ceterum quod pertinet ad *Principes seculares*, quam alienum sit a divina Ecclesiae constitutione, eosdem rebus ecclesiasticis immisceri, et id demonstrat, quod ipsi etiam *in grege* sunt, et satis superque demonstratum est in priore libro, cum de independentia, ac primatu Ecclesiae supra societatem civilem ageretur (*Cap. I. sect.* 2).

II. Perperam *Febronium* vim omnem a Romani Pontificis Primatu sustulisse, quod quidem praedictis Ioannis ac Matthaei locis maxime contrarium est.

III. Perperam eundem *Febronium et Gallicanos* inferiorem Concilio generali Romanum Pontificem, idest Petrum fecisse, quem scilicet Christus toti Apostolorum Collegio praesenti atque adstanti praetulit, eiusmodi tam disertae Christi voluntati opponentes litigiosam, imo reprobatam, ipsorumque auctorum sententia dubiam pseudocanonum au-

ctoritatem sessionis 4ª, et 5ª Concilii Constantiensis: quodque inde sequitur, perperam eosdem denegasse Romano Pontifici in rebus fidei atque morum infallibilitatem, quandoquidem et *fundamenti* qualitas, quae Petro in praedictis locis asseritur, postulat, ut doctrinam immobiliter certam fidelibus praebeat, et *plena illa ac perfecta potestas,* quae eidem confertur ad Christi gregem omnimode, adeoque etiam *quoad intellectum* per rectam fidem pascendum, omnino exigit ut cum infallibilitate sit coniuncta, quia sine illa plane evanesceret, omnique vi ac iure destitueretur fidelium intellectus sibi subiiciendi (*).

IV. Contra autem retinendum esse, Primatus Romani Pontificis naturam eiusmodi esse, ut

a) Non sit tantum consociationis, ordinis, inspectionis, meraeque directionis, sed *verae proprieque dictae iurisdictionis.*

b) Non sit potestas extraordinaria tum denique exserenda, cum Episcopi suum officium deserant, vel ab eo deflectant, sed *omnino ordinaria.*

c) Non sit potestas *mediata* per pastores particulares, seu per Episcopos exercenda, sed plane *immediata.*

d) Non sit denique ullimode *circumscripta,* sed plena et universalis tum ratione materiae, circa quam versatur, dummodo ad Ecclesiam pertineat, neque ius divinum obstet, tum ratione eorum, qui eidem subiiciuntur, sive de populo sint, sive pastores, dummodo per baptismum in Christi gregem fuerint aliquando cooptati. Unde etiam sequitur

e) Eiusdem primatus essentiam non in eo tantum atque unice consistere, quod sit centrum unitatis et communionis, quemadmodum asseruit Febronius, sed in eo quod sit plena ac perfecta potestas pascendi sive gregem coniunctim, sive agnos atque oves singillatim, quae ad Christum pertinent: adeoque

f) Vanam et commentitiam esse Febronianam iurium primatus divisionem in *essentialia,* quae officio unitatis servandae necessario cohaerent, et in *accidentalia,* quae cum praedicto officio necessario non cohaerent.

(*) Memoranda heic est *Propos.* 29 *ab Alex. VIII. damnata die* 7. *decembr.* 1690.

15. *In specie* autem ex praedicta propositione cum plurima alia, tum nonnulla, quae magis usui sunt, dimanant, et in quibus proinde operae pretium est, aliquantum immorari. Et 1°. quidem inde sequitur, perperam affirmatum esse a Gallicanis, ac deinceps a Iansenianis, Romani Pontificis potestatem auctoritate veterum canonum, quos antiquitas consecrarit, imo et particularium Ecclesiarum consuetudinibus restringi et coarctari. Manifeste enim id repugnat naturae primatus, quem ita a Christo constitutum fuisse vidimus, ut nulla humana auctoritate coarctetur. Ut autem facilius ea caligo dispellatur, quae ab assertoribus praedicti erroris offunditur, haec sunt animadvertenda.

I. Cum quaestio fit, utrum summus Pontifex *possit* contra canones antiquos, et vetustas consuetudines sive generales sive particulares aliquid statuere, duplex sensus distinguendus sedulo est verbi *possit*, quod simul significat et *vim ac facultatem* aliquid faciendi, et rei agendae *honestatem;* ita ut *fieri non posse* dicatur et id, quod si fiat, ex defectu virium ac facultatis invalidum esset, et id, quod licet validum, tamen *illicitum* foret ex honestatis defectu. Hoc autem postremo sensu locuti sunt summi Pontifices, cum negarunt, adversus canones se quidquam posse, nulla scilicet accedente iusta caussa, cur ab illis discedi oporteret.

II. Cum in eadem quaestione de *mera honestate* sermo est, eiusdem rei iudicium Romano ipsi Pontifici est relinquendum, tum quia absurdum est, supremam potestatem inferiorum iudicio subiici, tum quia rectum ea de re iudicium ab uno Romano Pontifice ferri potest, qui *altiore* scilicet *utitur consilio* non modo ob particulare Spiritus S. auxilium, qui eidem speciali modo adest, verum etiam quia nemo praeter ipsum est, cui omnes perspectae sint Ecclesiae circumstantiae, *ad cuius bonum universale* res componenda est.

III. Distinguendum item est inter ipsorum canonum qualitatem, utrum scilicet humanae tantum auctoritati innitantur, an etiam divinae; ita ut vel directe a Deo ipso constituti sint, vel saltem cum iis, quae a Deo sunt constituta, sint *essentialiter* coniuncti; ex. gr. canones, quibus *ius appellationum* ad Romanum Pontificem constituitur, qui pro-

fecto essentialiter coniuncti sunt cum natura ipsa Primatus, eiusque officio divinitus Romano Pontifici imposito. Pro diversa enim auctoritatis natura diversum oportere esse iudicium manifestum est. Itaque

a) Quoad canones, qui auctoritati *divinae* innituntur, manifestum est, eosdem, *quatenus tales sunt,* immutari per Romanum Pontificem *derogatione proprie dicta* non posse. Dixi 1°. *quatenus tales sunt*. Complures enim sunt canones, in quibus *substantia* ab auctoritate *divina* dimanat, *forma* ab humana; ex. gr. canones, qui *decimas* solvi imperant; in quibus *substantia*, idest ut altaris ministri ali a fidelibus debeant, divini iuris est (1. *Cor. IX*. 4, 14), *forma* autem, ut nimirum eiusmodi alimenta praestentur per decimarum solutionem, humani est iuris. Dixi 2°. *derogatione proprie dicta*. Si enim agatur de praeceptis divinis positivis, nemo ambigit, Romanum Pontificem potestatem, imo et officium habere eadem interpretandi, utrum scilicet certis supervenientibus circumstantiis locum habere debeant necne.

b) Quoad canones, qui innituntur auctoritati *humanae*, in genere id pariter manifestum est, eosdem a Romano Pontifice, quicumque ii sint, valide immutari, et abrogari posse, cum nulla sit, aut unquam fuerit mera humana auctoritas, quae Romani Pontificis auctoritate in rebus, quae ad Ecclesiae regimen pertinent, superior dici queat; imo aliquando *debere*, cum scilicet, rerum circumstantiis immutatis, eiusmodi canones immutari Ecclesiae necessitas, vel utilitas iubet. *(Cf. epistolam S. Gelasii ad Episcopos Lucaniae etc. Cap.* 1; *imo et Conc. Basileense eo ipso tempore, quo a Romano Pontifice dissidebat, Epist. Synod. V. paullo ante dimidium).* Ut autem *honeste* id fiat, si quis quaerat, quas regulas servari oporteat, eae quidem saltem praecipuae hae sunt.

aa) Ut mutatio ipsius Romani Pontificis auctoritate fiat, cui soli (praeter Concilium generale, quod cum Romano Pontifice consentiat) potestas est in ius commune : vel in genere ut *mutatio ab eo fiat, cui legitima potestas est;* unde nec inferior superioris, nec secularis Princeps Ecclesiae canones immutare valet.

bb) *Ut fiat rationabili de caussa*. Abusus est enim potesta-

tis, et quoddam levitatis genus canones temere mutare, praesertim cum non sine gravi caussa fuerint constituti. Unde sequitur, *ea, quae institutionem habent mere apostolicam, atque perpetuo servata sunt,* licet per se mutari possint, nihilominus numquam videri immutanda esse, non modo propter Apostolorum reverentiam, verum etiam quia excellentem quandam et absolutam efficaciam habere videntur perpetua atque universali experientia comprobatam ad Ecclesiae finem obtinendum.

cc) Ut gravioris damni nullus prudens sit metus, praesertim circa rectam fidem. Qua quidem regula usa est Ecclesia in deneganda communione sub utraque specie, et lingua vulgari in liturgia, licet, hisce concessis, complurium populorum reditus ad Ecclesiam Catholicam promitteretur. Cum enim haec debita esse et necessaria dicerent, concedi sine rectae fidei periculo eadem non posse, merito existimavit. Pari ratione cum Principes aliquid petunt sibi concedi, quod ad Ecclesiam pertinet, eodemque tempore id sibi, tanquam iuri regio insitum, deberi affirmant, hanc ipsam ob caussam inhabiles ad gratiam obtinendam se faciunt. Involvit enim haec agendi ratio praeter damnum ecclesiasticae libertatis, etiam errorem in fide; praesertim cum id etiam supponat, Ecclesiam errasse, iniusteque aliena iura invasisse, cum aliter se gessit; quam propositionem *haereticam* esse, merito docet Pius VI. *in Constit. Auctorem Fidei ad propositionem IV. synodi Pistoriensis.*

dd) *Ut uniformitatis ratio quoad ceteras Ecclesiae partes, quantum fieri potest, non laedatur.* Uniformitatem enim vehementer Ecclesiae cordi esse, et spiritus unionis et charitatis docet, quo ipsa alitur, et plurimi hac de re editi canones confirmant, inter quos satis sit indicasse *Conc. Veneticum anni* 465. *Can.* 15; *Agathense anni* 506. *Can.* 30; *Epaonense anni* 517. *Can.* 27; *Gerundense anni* 517. *Can.* 1; *Bracharense anni* 563. *Cap.* 1; *Toletanum IV. anni* 633. *Can.* 2; *Toletanum XI. anni* 675. *Can.* 3; tum maxime *Concilium Tridentinum Continuat. Sess. XXV. Cap.* 3. Unde sequitur, consuetudines *Ecclesiarum particularium* non modo inviolabiles non esse, verum etiam rectissime, si salva necessitate aut charitate fieri possit, ad ius commune redigi.

ee) Iudicium autem de praedictis regulis in casibus particularibus, utrum scilicet et quatenus locum habeant, relinquendum est Romano Pontifici *(heic II.)* (*).

16. Alterum ex praedicta propositione corollarium, quod item in specie animadvertendum esse operae pretium ducimus, hoc est; nonnisi per summam iniuriam a Febronio affirmari, catholicam Primatus notionem ab Isidoriana canonum collectione natam esse. Cum enim perspicue ab ipsis Christi verbis dimanet, fabula illa Febroniana vacare ab impietate nullo pacto potest. Sed quoniam de Isidoriana collectione quamplurima effutiri solent, quae plane stulta sunt, nonnihil de ipsa distinctius exponere haud abs re erit. Itaque de eiusmodi collectione haec sunt animadvertenda.

I. Isidorum, quicumque ille fuerit, suam canonum collectionem edidisse seculo IX ad dimidium vergente, quemadmodum videre est apud fratres Ballerinios *Tom. III. operum s. Leonis M.* quae ab ipsis edita sunt.

II. Eiusmodi collectionem hoc sensu, atque hasce praesertim ob rationes spuriis canonibus refertam dici:

a) Quod Romanis Pontificibus ad tria priora secula pertinentibus eos canones tribuit, qui posterioribus seculis IV. praesertim et V. scripti sunt, vel ex sententiis Ss. Patrum illius aetatis fuerunt excerpti, quemadmodum docuit vir calvinianus, Isidorique hostis acerrimus Blondellus, qui etiam in medium protulit ea Patrum loca, unde illi exscripti fuisse videntur.

b) Quod in genuinis quibusdam sincerisque canonibus, scriptura codicum vetustate forte corrupta, integritatem sententiae Isidorus ipse per se restituerit; vel etiam adnotationes aliquas antiqua manu factas textui fortasse imprudens inseruerit; ita tamen, ut eiusmodi interpolationes a doctrina ceterorum canonum nullo pacto dissonent.

c) Quod in quibusdam canonibus paris semper doctrinae, neque a ceteris discrepantibus error in notis chronologicis deprehendatur.

d) Quod denique licet auctores diversi esse dicantur, stilus tamen uniformis in omnibus esse videatur.

(*) *Cf. Zacaria Dissert. inscripta «Lasciamo star le cose come stanno.»*

III. Praedictas caussas, quod unusquisque facile videt, partim futiles esse, leviorisque momenti, partim Febronianam assertionem potius evertere. Nimirum

a) Evertitur Febroniana assertio, quod canones Isidoriani ex sententiis Patrum IV. et V. seculi exscripti dicuntur. Id enim probat, eam doctrinam de Romani Pontificis Primatu, quam Isidorianae collectioni, idest seculo IX. Febronius tribuit, IV. et V. seculo iam traditam in Ecclesia, ac probatam fuisse.

b) Ex argumentis, quae ducuntur ex interpolationibus, et arbitrariis restitutionibus, licet recte deducatur, eas partes interpolatas atque adiectas adulterinas esse, praepostere tamen deducitur, ab iisdem Primatus doctrinam natam esse, cum doctrina, quae ibi continetur, a doctrina ceterorum canonum nullo pacto dissonet.

c) Exaggerantur ultra sanam criticam argumenta, quae ab uniformitate stili, et a notis chronologicis perperam designatis eruuntur, quandoquidem errores in notis chronologicis in monumentis etiam genuinis non semel reperiri eruditus quisque probe novit: quod vero pertinet ad uniformitatem stili, licet diversi canonum scriptores esse dicantur, animadvertendum est:

1°. Argumentum, quod ex stilo deducitur, infidum per se atque incertum esse:

2°. Plerosque ex antiquis canonibus graece fuisse scriptos; adeoque ex interpretis manu, qui eosdem in latinam linguam verterit, facile induere uniformitatem potuisse. Ceterum satis est, doctrinam genuinis canonibus minime contrariam ibidem tradi, ut Febronii calumnia de Primatus origine ab iis repetenda protinus evanescat (*).

17. *Tertium corollarium,* quod speciali mentione dignum ex eadem propositione deducitur, hoc est, perperam ab aliquibus affirmatum esse, ad ius divinum, atque ad ipsam Ecclesiae constitutionem pertinere, ut electio Episcopi proprii a plebe fiat.

Id, inquam, ex praedicta propositione ceu corollarium

(*) *Cf. Supplem. Ephemer. Ecclesiast. Tom. X. idest an.* 1798. *Romae edit. in Opusc. inscripto «Isidoro Mercatore difeso» pag.* 153 *et seqq.;* 217 *et seqq.; et* 281 *et seqq.*

descendit. Si enim Episcoporum electiones plebi reservatae essent, hac saltem ex parte Romani Pontificis potestas restringeretur, neque ea esset, qualis demonstrata est, plena atque perfecta, nullaque humana auctoritate circumscripta. Cum tamen hac de re recenti quoque aetate renovata quaestio fuerit, nonnulla distinctius attingere haud abs re erit. Et primo quidem animadvertendum est, res esse longe diversas *eligere, petere, testimonium reddere*. Neque enim qui bonum testimonium pro aliquo reddit, vel eumdem eligi petit, ius aliquod ad dignitatem obtinendam eidem parit; sed tantum obsecrantis, vel laudantis personam gerit. Contra autem dicendum est de iis, qui *eligunt*. Qui enim eligit, canonice vocat ad dignitatem, ad eamque obtinendam ius verum tribuit. 2°. Animadvertendum item est, ius eligendi magistratus, nisi in ipsa societatis constitutione aliud statutum fuerit, per se ius esse potestatis supremae; neque enim quispiam potest populum obligare, ut cuipiam pareat, nisi is, cui populus subest. Unde sequitur, Episcoporum electionem, nisi demonstretur Christum aliter statuisse, per se ad Romanum Pontificem pertinere. 3°. Denique animadvertendum est, licet ius eligendi Episcopos per se ad Romanum Pontificem pertineat; nihilominus eius vel lege vel approbatione ac consensu potuisse ad alios recte deferri; quod enim cuiuspiam lege vel consensu fit, eiusdem innititur auctoritati.

Hisce autem praemissis, quo brevius adversariorum error innotescat: 1°. Ecclesiasticae praxis circa Episcoporum electionem brevem conspectum a primis usque temporibus trademus: 2°. Quae adversus praedictum errorem inde consequuntur, adnotabimus: 3°. Praecipuas adversariorum obiectiones referemus ac refutabimus.

18. In Ecclesiae praxi referenda de Episcoporum electionibus id primum animadverti volumus: licet variae aetates distingui possint, quibus varia electionis methodus servata est, nihilominus nunquam eandem fuisse omnibus locis plane communem, ita ut varietas non mediocris non modo in omnibus aetatibus collective, verum etiam in singulis facile deprehendatur. Itaque quod per singulas aetates communius actum est, exponimus. Fuit autem eiusmodi.

I. In ipsis Ecclesiae exordiis Episcopos ab Apostolis, vel eo-

rum mandato constitutos esse, et ex ss. litteris patet (*Act. XIV.* 22; *Tit. I.* 5.) et ex traditione *(cf. S. Greg. M. L. V. Ep.* 60; *VI.* 37; *VIII.* 35.; *S. Hieronym. in Cap. I. et III. Ep. ad Titum etc.)*.

II. Apostolis mortuis, vel etiam adhuc viventibus *(cf. S. Clem. Ep.* 1. *ad Cor.)* usque ad Concilium Nicaenum I Episcoporum electiones ceteris eiusdem Provinciae Episcopis constat fuisse attributam; atque ita quidem, ut populus aliquando etiam expresse fuerit repulsus. *Cf. Conc. Laodic. Can. XII. et XIII.; Antioch. I. can. XVI., et Conc. Nicaenum I. can.* 4. ubi eadem doctrina non modo confirmatur, verum etiam *antiquis moribus* conformis esse dicitur. Unde sequitur:

a) Verba καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο, quae veluti altera conditio adiecta legitur a Patribus Concilii Nicaeni I in Epistola Synodica (*Theodor. Histor. Eccl. L.* 1. *C.* 9.) post primam conditionem « *ut digni esse videantur* » quoad eos, qui in locum demortuorum Episcoporum sufficiendi erant, non ita esse vertenda « *et* (eos) *populus elegerit* »; sed « *et* (eos) *populus optaverit* ». Utrumque enim sensum et eligendi et optandi habet graecum αἱρέομαι; sed eligendi sensus praedicto Canone 4. eiusdem Concilii excluditur.

b) Item si qua pars in huius aetatis monumentis tribui plebi videatur in eligendis Episcopis, id ita intelligendum esse, quemadmodum concinne explicat *Goffridus Abbas Vindocinensis opusc.* 2; qui ait: *Populus concurrebat ad electiones postulatione, et bonae vitae testimoniis: Clerus vero iure suffragii. Neque enim populus in re ecclesiastica dare poterat ius electo.* Quod expresse videre est apud *S. Cyprianum Ep.* 68. *al.* 67, ubi asseritur, *plebem praesentem oportere esse eligentibus ad testimonium ferendum;* facta nimirum distinctione inter *electores* et *plebem,* eique tantummodo *testis parte assignata.*

III. A Concilio Nicaeno I. ad Concilium Constantinopolitanum IV. quod est VIII. ex oecumenicis, eadem disciplina reperitur, idest ut a ceteris Provinciae Episcopis Episcoporum electio fieri deberet *(Cf. S. Iulium Rom. Pont. apud S. Athanas. in eius Apol. contra Arianos; Canones ad Gallos Episc.*, quos Constantius Siricio tribuit, *Cap. V; Canones*

Nestorianorum, qui seculo V. ab Ecclesia recesserunt, *in Collectione Ebediesu Tract. VIII. in ipso initio apud Maium* in eius nova serie *Script. Vet. Tom. X.; Concil. Nicaenum II. Act. VIII. Can. III.; Conc. C. P. IV. post Act. X. Reg. XXII; Stephanum V. aliis VI. in Decr. Gratiani Can. 12. dist. 63. etc.):* atque ita quidem, ut, quod attinet *ad populum,* haec firma haberentur:

a) Opinionis popularis habendam esse rationem *hoc sensu,* ut ab Episcopis electoribus is non eligeretur, qui communi populi opinione censeretur indignus; vel contra is eligeretur, qui dignissimus communi consensu haberetur; quo quidem sensu etiam eorum testimonium, *qui foris sunt,* attendendum esse monuit *S. Leo Ep.* 10. *alias* 89. *ad Episcopos provinciae Viennensis.*

b) Praeter hoc testimonium nonnisi facultatem *postulandi* populo competere posse; ita tamen ut electores imprudenter populi votum sequi minime deberent, eiusmodi sententia axiomatis loco in hac materia electionis iisdem proposita « *Docendus est populus, non sequendus* » *S. Caelestin. I. ad Episcopos Apul. et Calab.* §. *III. collato II; Canones Siricio attributi ad Gallos Episc. Cap. V.; Stephanus V. aliis VI. in Decr. Grat. Can.* 12. *Dist.* 63.

c) Regulariter populum in electionibus *silere oportere ac attendere sibi, usquequo regulariter e Collegio Ecclesiae suscipiat finem electio futuri Pontificis,* quae verba sunt *Concilii Constantinopolitani IV. post Act. X. Reg. XXII.*

IV. Circa dimidium seculi IX usus *investiturarum* in Occidente inolere coepit; quae quidem *investiturae* primum post electionem canonicam ritu minime damnando dari consueverunt; at deinceps electionum libertatem coeperunt sensim opprimere, ita ut ab ipsis principibus secularibus electiones re ipsa fierent, pravam eiusmodi consuetudinem Romanis Pontificibus reprobantibus, summaque vi adversus ipsam obnitentibus. *Cf. Acta S. Greg. VII. et insequentium Pontificum; Conc. Pictav. an.* 1078 *Can.* 1; *Conc. Claromont. anni* 1095 *Can.* 16, *praesertim vero Conc. Lateran. I. Oecumen. ann.* 1123, quod praecipue ad investituras abolendas coactum est.

V. Seculo XII ad solum Ecclesiae cathedralis Capitulum

ius eligendi devenisse constat ex toto Decretalium titulo, qui est *de electione*.

VI. A Clemente V. *(Extrav. Ad regimen eod. tit.)* idest ab initiis seculi XIV. ac deinceps a ceteris Pontificibus per *Regul.* 2 *Cancell.* ius Episcopos eligendi revocatum est ad Apostolicam Sedem, et primum quidem absolute, deinceps vero, facta principibus laicis potestate praesentandi unum, vel plures, ut plurimum tamen tres sacerdotes episcopali munere dignos, ex quibus Apostolica Sedes, si revera dignos reperiat, eum eligat, quem ipsa magis idoneum existimet. Atque haec quidem hoc sensu,

a) Ut eiusmodi facultas Principibus laicis concessa, inniti intelligatur mero indulto Apostolicae Sedis, non autem iuri cuipiam sive eorum proprio, sive populi, cuius scilicet personam ii gerant; quandoquidem dogmatica doctrina Concilii Tridentini declaratum est « *in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, et ceterorum ordinum nec populi, nec cuiusvis secularis potestatis et magistratus consensum sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio; quin potius eos, qui tantummodo a populo, aut seculari potestate ac magistratu vocati et instituti ad haec ministeria exercenda ascendunt, non Ecclesiae ministros, sed fures, et latrones per ostium non ingressos habendos esse.* » Quae quidem omnia, addito anathemate adversus eos, qui secus dixerint, ita confirmata sunt in Can. VIII. eiusdem sessionis, ut si qui *missi sint* a populo, iidem dicantur *aliunde* venire, eorumque missio opponatur *missioni ecclesiasticae et canonicae* (*).

19. Iam vero ex hoc brevi conspectu ecclesiasticae praxis de Episcoporum electionibus ab Apostolica aetate ad haec usque tempora deducto manifestum est, 1°. Populo numquam tributum fuisse ius proprie dictae *electionis*, sed tantum *postulandi* facultatem eidem fuisse concessam, aut *testimonii ferendi* de eligendorum meritis; quod quidem a iure electionis quantum alienum sit ex S. Leone evidentius factum est, qui etiam eorum *qui foris sunt* (infidelium scilicet et Haereticorum), attendendum esse testimonium edixit: 2°. Quin

(*) De tota hac *electionum* disciplina, quam hoc num. 18 complexi sumus, *Cf. Bianchi Della esterior polizia della Chiesa lib. I, cap. IV.*

imo partem omnino nullam saltem a seculo IX. ad hanc usque aetatem, i. e. per decem secula eidem populo in electionum negotiis relictam fuisse: 3°. Quod gravius est, a primis temporibus ad haec usque tempora, i. e. a Conciliis Laodiceno atque Antiocheno ad Tridentinum, fuisse saepe expresse edictum, populum ab electionibus excludendum esse, eundemque docendum esse non sequendum: 4°. Dogmatica doctrina fuisse definitum, in Episcoporum, ceterorumque Clericorum ordinationibus nedum vocationem et auctoritatem, sed ne consensum quidem populi necessitate aliqua exigi; imo qui ab ipso populo missi sint, eos non a canonica potestate, sed aliunde venire. Atqui haec omnia repugnant doctrinae, qua asseritur, ad ius divinum pertinere, ut electio Episcopi proprii a plebe fiat. Ergo etc.

20. Quae vero pro sua sententia afferunt adversarii, haec praecipue sunt:

I. Mathias *Act. I.* 15. *ad* 26. et septem diaconi *Act. VI.* 1. *ad* 6. per universum populum electi sunt.

R. Ad utrumque exemplum.

a) Ex iis, quae facta sunt, licet ab Apostolis gesta fuerint, non licet illico *ius divinum* arguere.

b) Mira securitate asseritur, *universum populum* ad illas electiones convenisse. De Mathia *cf. Act.* I, 15, ibique « *fere centum viginti* » cum *I. Cor.* XV, 6, et ibi « *visus est plusquam quingentis fratribus simul* », praeter quos, nullos alios extitisse fideles, eadem securitate, stulta scilicet, affirmaretur. De septem vero Diaconis *cf. Act.* II, 41, et ibi « *appositae sunt animae circiter tria millia* » et Act. IV, 4, ibique « *Multi* (occasione claudi a Petro sanati)... *crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia* », praeter quos nullos alios per ipsum Petrum, nullos per alios Apostolos, atque discipulos in Ecclesiam adlectos fuisse, pari stultitia, collato praesertim *Act.* VI, 1, pro certo venditaretur. Tantam vero multitudinem in unum locum (eo scilicet tempore) Ierosolymis convenisse ad Diaconorum electionem, quis sanus credat?

c) Quicumque in utroque casu convenerunt, ii non elegerunt, sed *praesentaverunt*. De Mathia *cf. Act. I.* 23, ibique nota verbum *duos;* et 24, ibique nota verbum *elegeris*. De

septem Diaconis *cf. Act. VI.* 3, ibique nota verba *considerate viros boni testimonii... quos constituamus* (nos apostoli).

d) Quae illi egerunt, ea non iure proprio, sed vi concessionis Apostolorum, eorumque mandato egere, nimirum *Petri* quoad electionem S. Mathiae, *Act. I.* 21, et ibi *S. Io. Chrysost.;* Apostolorum quoad Diaconos, *Act. VI.* 2. 3.

II. Cyprianus *Ep.* 68. *aliis* 67. ait: *Ipsa maxime (plebs) habet potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi: quod et ipsum videmus de Divina auctoritate descendere ut sacerdos, plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur.*

R. Cyprianus 1°. expresse distinguit *plebem* ab *eligentibus;* ita ut plebi nonnisi *praesentem esse* concedat iis, qui electionem peragant: 2°. iudicium plebis *ad testimonium* de *idoneitate* restringit. Unde patet in iis verbis *Plebs habet potestatem vel eligendi* etc. vocem *eligendi* latiori sensu sumi *(Cf. Tacit. in Agric.* 9. *sub fin.* et quae supra dicta sunt de verbo *αἱρέομαι num.* 18. *II. a);* quod ex ipsis verbis, quae sequuntur, *vel indignos recusandi*, manifestius apparet; ea enim indicant electionis ius penes alios esse.

Quod si ex Cypriani loco id saltem eruere velint, plebi *divino iure* competere, *ut praesens sit electionibus* , licet extra thesim hoc sit, non est tamen ullo modo admittendum. Nam

a) In genere hoc certum est, *divinum ius* ex uno vel altero cuiuspiam Patris loco probari non posse, praesertim cum diuturna Ecclesiae praxis repugnet *(cf. S. Thom.* 2. 2. *quaest. X. art. XII. in corp.).*

b) In specie quoad S. Cyprianum haec sunt animadvertenda:

aa) Singularem Cypriano consuetudinem ac persuasionem fuisse, alia etiam graviora negotia oportere (non quidem debere) non modo cum presbyteris, verum etiam cum plebe agi. *Cf. eiusdem epistolam XXVIII. et Bellarmin. L. I. de Rom. Pont. Cap.* 6.

bb) In verbis *de divina auctoritate descendere* vocem *auctoritate* non significare hoc in loco *praeceptum,* sed *ex-*

emplum: quod patet ex iis, quae sequuntur: 1°. enim sententiam hanc suam probat Cyprianus *exemplis* Veteris Testamenti in consecratione Eleazari Aaronis filii (nota, ibidem neque de electione actum fuisse, hereditaria quippe erat Pontificum hebraeorum successio, neque constare eundem ritum in subsequentium Pontificum consecratione fuisse servatum); Novi autem Testamenti in electione S. Mathiae et septem Diaconorum (de quibus scilicet supra dictum est); 2°. fatetur non in omnibus provinciis praesentiam plebis in electionibus fuisse adhibitam « *quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur* », quod sane fieri non potuisset, si divino iure praesentia plebis exigeretur, praesertim cum ne Cyprianus quidem eas provincias, quae plebem excludebant, reprehendere ausus fuerit.

III. Vetus Ecclesiae praxis Episcoporum electionem ad populum pertinere docet.

R. Falso haec affirmari, toto numero 18 demonstratum est.

IV. Obiicit recens auctor 1°. Ius populi Episcopum proprium eligendi a iure quidem divino *constitutivo* non dimanare, sed a iure divino *morali* omnino descendere; atque hac distinctione opinionum varietatem componi (hinc scilicet Lutheri et Calvini plebi ius eligendi divino iure asserentium, inde vero Ecclesiae Catholicae haec denegantis); 2°. Desuetudine electionum popularium Ecclesiae statum in peius ruisse; eundem vero facile restitutum iri, iisdem restitutis.

Resp. ad singula, et ad 1um. animadverto, distinctionem iuris divini in *constitutivum* et *morale* novam esse, quibus novitatibus in theologicis controversiis agitandis caligo imperitis offunditur, et errores facile foventur. Iam vero ius divinum *morale* aut *naturale* intelligunt, aut *ius improprie dictum*, idest congruentiam quandam. Si *primum*, in errore sunt Marsilii Patavini, qui summam Ecclesiae potestatem in ipsa plebe *iure naturae* constituit, cum contra omnis Ecclesiae potestas a positiva Christi voluntate repetenda sit, idest a iure divino positivo, vel ut ipsi aiunt, *constitutivo:* sin alterum, plura sunt animadvertenda, idest

a) Quidquid ad meram *congruentiam* pertinet, appellari *ius* nullo pacto potest.

b) Congruentia nulla est, ut *electio proprie dicta* a plebe exerceatur; imo maxima in ea re habetur *incongruentia*.

c) Congruentia *quoad meram populi praesentiam* in Episcoporum electionibus ad testimonium de vita eorum ferendum absolute concedi nequit; sed ita est de ipsa distinguendum. Congruum est Episcoporum electoribus plebem adesse, si ex temporum ac personarum circumstantiis prudens timor habeatur turbarum, factionum, aliorumve incommodorum, *nego;* si nullus eiusmodi sit timor, *subd.* ita congruum habendum illud est, ut tamen contrarium haberi incongruum non debeat, si alia via possit idem finis obtineri, qui ex praesentia populi quaeritur *conc.* secus *nego.* Finis autem, qui ex praesentia populi quaeritur, hic est, ut testimonium de vita eligendorum habeatur, atque ut ii dignosci queant, quibus populus libenter obediat, quod quidem alia etiam via obtineri posse, nemo non videt.

Ad 2um respondeo, et ea quae supponuntur, et ea quae affirmantur, admitti nullatenus posse. Itaque

a) Falso supponitur, Episcoporum proprie dictam electionem a populo superioribus aetatibus exercitam fuisse (*Cf. num.* 18).

b) Alterum suppositum, quod praesens Ecclesiae status prae superioribus aetatibus in peius ruerit, Iansenianis quidem familiarissimum est, a viris autem sapientibus probataeque fidei, singulis praesertim circumstantiis perspectis, haud ita facile concedi solet.

c) Quidquid sit de huiusmodi mutatione, falso affirmatur, eandem in deterius idcirco abiisse, quod populus ab electionibus exclusus fuerit, tum quia conventus illi populares perniciosi potius saepissime comperti sunt *(Cf. Can.*5. *Dist.* 61; *can.* 2. *Dist.* 62; *can.* 12. *Dist.* 63; *Can.* 16. *ca.* 8. *quaest.* 1. *etc.);* praesertim cum turbas et factiones frequenter gignerent (*cf. Epist. Stephani V. aliis VI. ad Romanum Archiepiscopum Ravennatem in d. can.* 12. *Dist.* 63); tum quia quidquid adducitur ad obiecta incommoda demonstranda omnino versatur in enumerandis malis, quae a facultate Principibus facta praesentandi novos Episcopos oriri existimant: quae quidem mala *transmitti* aut etiam *admitti* possunt, et tamen asserta electionum popularium congruentia

iure potest negari. Quod enim deterius quippiam sequutum fuerit, non inde sequitur, id quod praecessit, esse bonum.

d) Denique non est omittendum, quid congruum, quidve incongruum in societatibus sit, eius tantum iudicio posse definiri, qui omnes totius societatis circumstantias perspectas habet; proindeque sapientis esse, in ecclesiasticis negotiis Ecclesiae iudicium sequi; eum vero, qui Ecclesiae iudicium contemnit, seditiosum turbulentumque ingenium portendere.

21. Ex his, quae hactenus disputavimus, perspectum est, systemata omnia, quae adversus veram Ecclesiae constitutionem conficta sunt, *in petram* vere illidere, quandoquidem *potestatis plenitudine* vindicata, quae Romani Pontificis propria est, non modo fundamenta, verum etiam singulae eorum partes totidem corollariis evertuntur. Nihilominus nonnulli supersunt in iisdem errores, qui Episcoporum potius, quam Romani Pontificis potestatem oppugnant: sunt autem ii, qui Presbyterorum iura exaggerant; praecipue vero 1°. Error eorum, qui omnes Presbyteros iurisdictione Episcopis pares faciunt, de quo errore consulendi sunt Theologi, qui latius de eo agunt: 2°. Error eorum, qui ad Divinam institutionem Parochos referunt; unde potestatem quandam iisdem tribuunt divinitus collatam: de qua re satis sit haec animadvertisse:

I. Ineptissime haec affirmari, tum quia quolibet destituuntur fundamento; tum quia constat, primis Ecclesiae seculis nullos fuisse Parochos, Presbyteros vero ita omni caruisse iurisdictione, ut sine Episcopi mandato neque baptizare, neque Eucharistiam administrare, neque agapem celebrare, denique nihil facere possent *(Cf. S. Ignat. m. Ep. ad Smyrnaeos n.* 8; *Tertull. de Bapt. L.* 2. *n.* 17; *Conc. Laodicen. an.* 320, *Can.* 57. *etc.)*. Denique huc etiam pertinent propositiones IX. X. et XI. Synodi Pistoriensis damnatae a Pio VI. in Const. Auctorem fidei (*Cf. in hac controversia Card. Gerdilium in instructione ad Episc. Ebredunensem nomine S. Congregationis Concilii missam, quae extat in fine Tomi XV eius operum*; tum etiam *Aloisium Nardi in eius opere inscripto « Dei Purrochi»*).

II. Cum autem nihil magis veritati obsit, quam ut plus aequo exaggeretur, eorum esse devitandam severitatem, qui ferme haereticum dicunt, quicumque parochos *pastoris* nomine cohonestet. Sunt enim veri *pastores,* siquidem ordinarium gerunt officium, quod sua natura pastorale est, pastorisque nomine appellantur a Theologis optimae notae, cuiusmodi est ex. gr. Benedictus XIV. *De Syn. Dioeces. L. VIII. Cap.* 1; Petavius *De Hierarch. L. II. C. V. num.* 10. tum passim *Catechismus Romanus,* et *Acta S. Congr. Card. Conc. Trid. interpretum.* Non ergo denegandum est, eos dici posse pastores, sed quales pastores sint, ad catholicae veritatis normam adversus Iansenianos est statuendum. Sunt autem pastores 1°. non divinae, sed ecclesiasticae institutionis; 2°. non perfecti, sed eiusmodi, quibus certa tantum munia commissa sunt; 3°. in iis muneribus exercendis non independentes, sed Episcopi auctoritati omnino subiecti.

22. Iam igitur exposita est verae Ecclesiae constitutio, eaque ab erroneis systematis, quae adversus conficta sunt, quantum satis fuit, vindicata est: proindeque iam patet quod in postremo hoc libro iuris publici ecclesiastici inquirendum nobis proposuimus; quinam ii sint, in quibus Ecclesiastica potestas iure resideat, et quanta in unoquoque sit. Eo itaque devenimus, ubi annulo quodam ius publicum ecclesiasticum cum iure privato connectitur, idest ad tractatum de fontibus iuris canonici, qui quidem eorum, quae in hoc libro exposita sunt, verum est corollarium, simulque est veluti germen, unde totum efflorescit ius ecclesiasticum privatum, seu ius canonicum proprie dictum.

CAPUT TERTIUM

DE FONTIBUS IURIS ECCLESIASTICI PRIVATI, SEU IURIS CANONICI PROPRIE DICTI.

23. Leges in quavis societate legitimo ex fonte dimanare dicuntur, si ab iis editae sunt, qui iuxta constitutionem eiusdem societatis potestatem legiferam in ea habent. Iam vero Ecclesiae Christi constitutione explorata, vidimus 1°. Eam esse societatem divinitus, id est a Christo institu-

tam, adeoque non modo divinae eius naturae, verum etiam fundationis ratione perfectam omnis potestatis plenitudinem in Christo Deo residere: 2°. Christi in terris Vicarium esse Romanum Pontificem, ac proinde (salvo iure divino, quod interpretari potest, non mutare) plenam, atque incircumscriptam in eundem derivasse potestatem, quanta scilicet necessaria est ad Ecclesiae regimen exercendum: 3°. Partiales Ecclesiae praefectos, seu pastores esse Episcopos, quorum scilicet potestas iis terminis definitur, qui ab Romano Pontifice sive immediate et expresse, sive mediate ac tacite designati fuerint. 4° Praeter Episcopos alios esse posse praefectos, qui nimirum vel a Romano Pontifice, vel in suis dioecesibus ab Episcopis munere sive ordinario, sive delegato potestatem legitime habuerint, quorum proinde potestas eorundem voluntate determinatur. Ergo quidquid in Ecclesia est legum, quod ab eorum, qui mox dicti sunt, voluntate sufficienter promulgata intra eorundem potestatis terminos profectum est, id *legitimo ex fonte* dimanasse patet; quidquid autem ad eiusmodi eorum voluntatem referri nequit, *spurium* sit necesse est. Inde autem iuris canonici legitimi triplex praecipue distinctio est; nimirum

a) Ratione auctoris *Divinum*, quod a Deo, *Humanum*, quod ab homine constitutum est.

b) Ratione modi, quo est promulgatum, *Scriptum*, quod scriptis legibus continetur, *Non scriptum*, quod traditione, vel legitimo populi usu natum est.

c) Ratione eorum, quos obligat, *Commune*, quod totam Ecclesiam, *Particulare*, quod aliquos tantum ligat.

Quibus praemissis, iuris canonici fontes distinctius iam perspici possunt.

24. Itaque fontes *iuris Divini* varii sunt, prout *scriptum*, vel *non scriptum* est. Nam

I. Ad scriptum pertinent *Ss. Litterae;* nimirum

a) *Novi Testamenti* simpliciter.

b) *Veteris Testamenti*, quoad praecepta moralia. Nam caeremonialia, et iudicialia adventu Christi sublata sunt.

II. Ad non scriptum pertinent

a) *Traditiones Divinae*, de quibus scilicet Ecclesiae testimonio constat, Christum ipsum auctorem habuisse.

b) *Ius naturale*, quod scilicet *ubique instinctu naturae, non constitutione aliqua habetur* (*Can.* 7. *Dist.* 1).

III. Appendix quaedam iuris divini est Ecclesiae testimonium sive per infallibile Romani Pontificis oraculum, sive per Concilii generalis iudicium, sive per Patrum dicta moraliter inter se consentientium prolatum non modo ad traditiones divinas comprobandas, verum etiam ad germanum sensum iuris scripti divini aperiendum.

23. Iuris autem *humani* varii item in Ecclesia sunt fontes non modo prout *scriptum*, vel *non scriptum* est, verum etiam prout *commune* vel *particulare* est.

I. Ad scriptum, prout commune est, pertinent

a) Constitutiones Romanorum Pontificum.

b) Decreta Conciliorum generalium, et praecipue Concilii Tridentini, quod recentius est.

c) Ratione auctoritatis Romanorum Pontificum vel Conciliorum generalium

aa) Decreta inferiorum praelatorum, sive Conciliorum provincialium, quae Romani Pontificis, aut Concilii generalis auctoritate ad universam Ecclesiam extensa sunt: quo quidem in numero non abs re erit animadvertere, habenda esse *Ancyranum, Neocaesariense, Gangrense, Antiochenum, Laodicenum, et Africana*, seu *Carthaginensia*, ita scilicet iubente Leone IV. *in Epist. ad Episc. Britan. Cap.* 6., cuius verba relata sunt *in Can.* 1. *Dist.* 20.

bb) Leges auctoritate illegitima editae, ex gr. secularium Principum, quae tamen a Romano Pontifice, vel a Concilio generali libere approbatae fuerint.

cc) Decreta eorum, qui delegata a Romanis Pontificibus auctoritate utuntur: quo referri possunt Responsa SS. Congreg. Cardinalium (*Cf. Sixtum V. Const. Immensa*).

II. Ad scriptum, prout particulare est, pertinent

a) Decreta Conciliorum Provincialium, aut nationalium pro sua natione aut provincia.

b) Decreta Episcoporum, vel aliorum Praelatorum quasi Dioecesim habentium pro eorundem dioecesi.

c) Statuta particularia sive Regularium, sive aliorum Collegiorum, quibus statuta condendi ius datum est, pro iis, qui ad eadem collegia pertinent.

d) Decreta Romanorum Pontificum, vel Conciliorum generalium, quae pro aliquibus tantum personis, aut collegiis, aut regionibus lata sint.

e) Decreta eorum, qui delegata a legitimis superioribus auctoritate utuntur, pro iis tantum personis, aut locis, quae definita sint tum in mandato delegantis, tum ipsa eiusdem potestate, quae scilicet in easdem personas ac loca legitime extendatur.

III. Ad ius humanum non scriptum pertinent

a) Traditiones Apostolicae, vel Ecclesiasticae.

b) Consuetudines sive generales pro tota Ecclesia, sive particulares pro singulis locis, ratione scilicet non auctoritatis popularis, sed Ecclesiae, quae eiusmodi consuetudin es certis concurrentibus conditionibus, de quibus in iure canonico agendum est, habere vim legis voluit *(can. 5. Dist. I. etc.)*.

IV. Appendix quaedam ad ius humanum non quidem eatenus, quod veram vim legis habeant, sed eatenus quod prudentem iudicandi regulam praebent, sunt

a) Decreta conciliorum provincialium, aut nationalium etiam pro Ecclesia universa.

b) Sententiae Patrum.

c) Doctrina glossae, idest veteris interpretationis, quae sacris canonibus *in corpore iuris* collectis adiecta est, quaeque communiter recepta sit.

d) Doctrina scriptorum iuris canonici aut etiam Theologorum inter se consentientium.

26. Hi sunt fontes iuris canonici, quibus Ecclesia catholica, id est Romana utitur, quippe qui a divina Ecclesiae constitutione soli dimanant. At illi, qui ius Ecclesiasticum apud eos constituunt, qui a Romana Ecclesia desciverunt, ipsi per sese indicant, veram Christi Ecclesiam apud eos defecisse: sunt enim praecipue *leges secularium Principum auctoritate editae, atque propositae,* quas eadem Ecclesiae constitutio repudiat, et adulterinos esse fontes statuit.

APPENDIX

Quum ad firmandam doctrinam in hisce institutionibus traditam maxime pertineant plurimae propositiones a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa IX damnatae, quae in *Syllabo*, eiusdem Summi Pontificis auctoritate edito, collectae sunt, e re esse censuimus, eundem heic apponere.

SYLLABUS

COMPLECTENS PRAECIPUOS NOSTRAE AETATIS ERRORES, QUI NOTANTUR IN ALLOCUTIONIBUS CONSISTORIALIBUS, IN ENCYCLICIS ALIISQUE APOSTOLICIS LITTERIS SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PAPAE IX.

§. I.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et iccirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et iustum cum iniusto.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem* 9. iunii 1862.

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo

cognitionem omnium cuiuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Epist. Encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856.
Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta et iccirco subiecta continuo et indefinito progressui qui humanae rationis progressioni respondeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

VI. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

VII. Prophetiae et miracula in sacris Litteris exposita et narrata, sunt poetarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa, ipseque Iesus Christus est mythica fictio.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

§. II.

Rationalismus moderatus.

VIII. Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, iccirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi* 9 decembris 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt obiectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam obiectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.
Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, illi

ius et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.
Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.

XII. Apostolicae Sedis, romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

N. B. Cum rationalismi systemate cohaerent maximam partem errores Antonii Gunther, qui damnantur in Epist. ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam* 15 iunii 1847, et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri* 30 aprilis 1860.

§. III.

Indifferentismus, Latitudinarismus.

XV. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.
Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XVI. Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Ubi primum* 17 decembris 1847.
Epist. Encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856.

XVII. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum

omnium salute qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854.
Epist Encycl. *Quanto conficiamur* 17 augusti 1863.

XVIII. Protestantismus non aliud est quam diversa verae eiusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decembris 1849.

§. IV.

Socialismus, Communismus, Societates clandestinae, Societates biblicae, Societates clerico-liberales.

Eiusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novemb. 1846; in Alloc. *Quibus quantisque* 20 april. 1849; in Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decemb. 1849; in Allocut. *Singulari quadam* 9 decem. 1854; in Epist. Encycl. *Quanto conficiamur moerore* 10 augusti 1863.

§. V.

Errores de Ecclesia eiusque iuribus.

XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.
Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque* 30 septembris 1861.

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram riligionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores

omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XXIII. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, iura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

XXIV. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXV. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore* 25 decembris 1856.
Epist. Encycl. *Incredibili* 17 septembris 1863.

XXVII. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XXVIII. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXIX. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tanquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXX. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.
Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXXII. Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis Nobisque* 29 sept. 1864.

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem proprio ac nativo iure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXXV. Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia, aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXXVI. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXXVII. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.
Alloc. *Iamdudum cernimus* 18 martii 1861.

XXXVIII. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

§. VI.

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

XXXIX. Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XL. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

XLI. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum ius quod vocant *exequatur*, sed etiam ius *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalet.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu iurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, immo et ea reclamante.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administrationibus et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.
Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XLV. Totum scholarum publicarum regimen in quibus iuventus christianae alicuius Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.
Alloc. *Quibus luctuosissimis* 5 septembris 1851.

XLVI. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subiicitur.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 iulii 1864.

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quae rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 iulii 1864.

IL. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

L. Laica auctoritas habet per se ius praesentandi episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas Litteras accipiant.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LI. Immo laicum Gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LII. Gubernium potest suo iure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LIII. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium prae-

stare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest, religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam iuris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.
Alloc. *Probe memineritis* 22 ianuarii 1855.
Alloc. *Cum saepe* 26 iulii 1855.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

LV. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia seiungendus est.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

§. VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges ad naturae ius conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iulii 1862.

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

LVIII. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.
Epist. Encycl. *Quanto conficiamur* 10 augusti 1863.

LIX. Ius in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

LXI. Fortunata facti iniustitia nullum iuris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Iamdudum cernimus* 18 martii 1861.

LXII. Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non-interventu*.

Alloc. *Novos et ante* 28 septembris 1860.

LXIII. Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Quisque vestrum* 4 octobris 1847.
Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decembris 1849.
Litt. Apost. *Cum catholica* 26 martii 1860.

LXIV. Tum cuiusque sanctissimi iuramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

§. VIII.

Errores de matrimonio christiano.

LXV. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXVII. Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili au-

ctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

LXIX. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non iure proprio, sed illo iure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXX. Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXII. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.
Lettera di S. S. Pio IX al Re di Sardegna 9 settembre 1852.
Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

LXXIV. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

N. B. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum coelibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur, prior in Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846, posterior in Litteris apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

§. IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

N. B. Praeter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Eiusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque* 20 april. 1849; in Alloc. *Si semper antea* 20 maii 1850; in Litt. apost. *Cum catholica Ecclesia* 26 mart. 1860; in Alloc. *Novos* 28 sept. 1860; in Alloc. *Iamdudum* 18 mart. 1861; in Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

§. X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

LXXVII. Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum* 26 iulii 1855.

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cuiusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LXXIX. Enimvero falsum est, civilem cuiusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque mani-

festandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Iamdudum cernimus* 18 martii 1861.

FINIS

DISSERTATIO

DE REGIO PLACET

HABITA DIE 2 SEPTEMBRIS 1852

PRAEFATIO AUCTORIS

Typis iterum editur haec de *regio placito* dissertatio, quae pluribus iam linguis reddita haud parvam Europae partem pervagata fuit. Proposuit sibi Auctor eos tantummodo hac dissertatione alloqui, quibus et animus inesset aequi rectique studiosus et sincerus catholicae veritatis amor. Satis superque his erat nudasse ingenitam *placiti* huius turpitudinem, quod lictorias, ut ita dicam, manus in Ecclesiam iniicit, eamque uti perpetuis suspicionibus obnoxiam ad tribunal laicorum sistit, ac, ne quid fari libere valeat, iudicem imponit filium matri, discipulum magistrae, interdicens perduellionis scelere populos ne huic magistrae ac matri morem gerant, nisi discipulus filiusque permiserit. Eversio rerum haec est, quae magno illi publicae rei administro Colbert turpissima visa fuit. « *Il ne sied pas bien à un fils de se revolter contre son père. S'il est glorieux d'avoir le dessus sur ses ennemis, il est* HONTEUX *de vouloir être le maître de ceux à qui l'on doit du respect.... A moins que de vouloir detruire tout à fait la religion, toutes les entreprises que V. M. saurait faire contre Sa Sainteté retombéront toujours sur elle.* » (Testam. politiq. chap. 8).

Quoad ceteros autem qui haec forte lecturi sint, negari profecto nequit quod alius aeque inclytus a publicis negotiis

administer, Comes Solaro della Margherita gravissimis verbis pronunciavit. (Avved. politici cap. 19. n. 2.) « *Sonovi governi, i quali per questo solo vantansi devoti alla Chiesa, perchè riconoscono la gerarchia ecclesiastica, concedono che s' edifichino templi, e permettono magnifiche funzioni di culto esterno; laddove tutto ciò non è che una parte dei doveri di un governo cattolico;* NE' BEN LI ADEMPIE IN QUESTO NEPPURE, OVE LA SUA AZIONE SENTA PIU' DEL DOMINATORE, CHE DEL PROTETTORE. » Vera haec, inquam, sunt atque extra controversiam posita; sed hac dissertatione Auctor huiuscemodi homines alloqui minime voluit, at eos qui se vere atque ingenue catholicos profitentur. His vero nullum adduci argumentum certius validiusque potuisset quam « ECCLESIA DEFINIVIT. » Quamobrem Ecclesiae sententias, tum *implicitas* antequam *placitum* existeret, cum *explicitas* posteaquam extitit, Auctor proponit serie adeo continenti ac perpetua, ut parem fortasse in ecclesiastica historia reperire nequeas.

Nemo tamen arbitretur omnes hic descriptas esse Ecclesiae sententias contra *Placitum*. Nam ut ait Clemens XI. in constitutione *Nova semper* 29 novembris 1714 « *execrandus abusus* (placiti) *per sacros Canones et plurimas notissimas pontificias Constitutiones sub anathemate damnatus* » fuit. Quod quam vere sit dictum vel ex hoc lector intelliget, quod UNDECIM alias constitutiones, quarum nulla in dissertatione est mentio, heic subiicimus: ex his unam alteramve integram fere exscribemus, ceterarum brevitatis studio nonnulla loca recitabimus aut locorum notationes. Ac primum constitutio *Nova semper* Clementis XI. mox citata ita se habet.

CLEMENS XI.

SERVUS SERVORUM DEI

AD FUTURAM REI MEMORIAM

« Nova semper in dies, ut alias non semel diximus, et » semper acerbiora ex regno Siciliae ad Nos afferuntur. Nuper siquidem Nobis innotuit, quod ille idem... secundum » duritiam suam et impoenitens cor, ADDENS PECCATUM SUPER » PECCATUM AC THESAURIZANS SIBI IRAM IN DIE IRAE, animo forsan,

» ut stulte opinabatur, enervandi efficaciam eorum, quae ex
» iniuncti Nobis apostolici muneris debito adversus ipsum
» eiusque acta a Nobis decerni contigisset... in suarum ini-
» quitatum cumulum, impudenti non minus quam detesta-
» bili ausu, praeceptum quoddam seu mandatum edidit...
» per quod inter cetera ipsaemet apostolicae litterae, alia-
» que decreta, mandata, edicta, censurae, interdicta et re-
» scripta quaecumque ab hac Romana Curia, hoc est ab hac
» Sancta Sede provenientia, quorum executionem secularis
» potestas minime permisisset, nulla, irrita ac, quod hor-
» rendum est, conscientiarum Christifidelium tranquillitati
» adversantia, impie et sacrilege declarantur: gravibus con-
» stitutis poenis adversus eos, qui illa quovis modo executi
» fuissent, prout uberius continetur in eodem praecepto seu
» mandato, quod non alio quidem, quam illud penitus et
» omnino damnandi et anathematizandi animo, praesentibus
» inserendum duximus. *(Sequitur praeceptum seu manda-*
» *tum).* Cum autem in praecepto seu mandato huiusmodi
» nullum plane sit verbum, per quod tam Ecclesiastica Li-
» bertas Dei ordinatione et canonicis sanctionibus consti-
» tuta, quam apostolicae Sedis auctoritas acerbissime non
» laedantur: potissimum vero, per ea quae inibi continen-
» tur, illamet suprema ligandi atque solvendi potestas Bea-
» tissimo Apostolorum Principi eiusque Successoribus a Chri-
» sto Domino tradita, secularis potestatis arbitrio PER SUM-
» MAM INIURIAM ATQUE INTOLERABILEM TEMERITATEM MANIFESTE SUBII-
» CIATUR: NECNON EXECRANDUS ABUSUS quoquo modo impediendi
» executionem litterarum apostolicarum per eosdem sacros
» canones et plurimas notissimas pontificias constitutiones
» sub anathemate damnatus, plene conformis non tam iuri
» gentium, quam ipsismet sacris canonibus, privilegiis apo-
» stolicis ac Concordiis cum Sede praefata initis, FALSO NON
» MINUS QUAM PERVERSE NUNCUPETUR; ADEOQUE ANIMAE PRETIOSO SAL-
» VATORIS NOSTRI SANGUINE REDEMPTAE IN MAXIMA PERICULA CONIICI
» POSSINT: Hinc est quod Nos, qui quorumcumque tam eius-
» dem apostolicae Sedis, quam Ecclesiae iurium assertores
» in terris a Domino constituti sumus... cum inter tam
» gravia animarum pericula liberum Nobis non sit fidelibus
» populis documenta salutis subtrahere, nec in tam aper-

» ta atque effrenata sacrarum legum violatione turpiter tacere... Motu proprio, ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeceptum seu mandatum praeinsertum, ac quaecumque in eo contenta... penitus et omnino nulla, irrita et invalida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria... nulliusque omnino roboris et momenti vel efficaciae... declaramus. *(Sequuntur clausulae).* Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 29 Novembris 1714, Pontificatus Nostri anno XV. »

Aliam habes eiusdem Clementis constitutionem.

« Accepimus nuper quod statim ac in regno Siciliae vulgatae fuerunt quaedam nostrae... litterae die 6 novembris proxime praeteriti expeditae... secularis potestatis in eodem regno administri.... promulgare praesumpserunt edictum tenoris sequentis. »

(Sequitur edictum quo praecipitur ut *quaevis lex, rescriptum, privilegium, breve etc. ab extera Potestate missa nullam vim habeant in regno nisi fuerint ante obsignata regio exequatur per advocatum fiscalem regii patrimonii sub poena etc.*)

« Perspectum profecto ac compertum habemus eos, qui praeinsertum edictum promulgarunt, mandata, litteras aliaque decreta apostolica in eo complecti, ac forsan praecipue comprehendere voluisse, quemadmodum satis superque coniici potest etc... adeoque certi sumus quod ex sola memorati edicti lectione quilibet sanae rectaeque mentis non modo illius evidentem nullitatem, verum etiam manifestam iniustitiam perspicue intelliget. Ambigere praeterea non possumus, quin horrore perfundendus sit quisquis illud legerit, dum inter cetera perspiciet ac animo reputabit, eo temeritatis perventum esse, ut *Potestatis exterae* titulus Potestati illi adscribatur, quam Nos per B. Petrum eiusque successores a Domino accepimus in terris maximam, et quae in indigno haerede non deficit: perinde ac si Siciliae regnum extra terrarum orbem situm esset, cum neminem pene lateat, verba illa quibus inclytus Claravallensis Abbas Eugenium Pontificem allocutus fuit : *orbe exeundum ei qui forte volet explorare quae non*

» *ad tuam pertinent curam.* Illud insuper omnibus satis
» exploratum, ac plane cognitum fore credimus, eiusdem
» secularis potestatis administros, dum in memorato edicto
» vetitum voluerunt, ne cuiuscumque speciei rescripta ullo
» modo executioni demandari debeant, nisi prius ab advo-
» cato fiscali regii patrimonii recognita ac approbata fue-
» rint, execrabili nimis ausu conatos fuisse praedictum ad-
» vocatum fiscalem iudiciorum apostolicae Sedis iudicem
» constituere, ac uno eodemque tempore sublimem illam
» potestatem ligandi atque solvendi Nobis... a Domino tra-
» ditam, quae non ancilla est, sed libera, ipsius secularis
» potestatis arbitrio subiicere et mancipare; cum tamen scia-
» mus, quod magistratui ac Principi Sacerdotum exprobran-
» tibus: *Praecipiendo praecepimus vobis ne doceretis in*
» *nomine isto, et ecce replestis Ierusalem doctrina vestra;*
» Petrus et Apostoli responderunt: *Obedire oportet Deo ma-*
» *gis quam hominibus.* Demum nec pariter dubitamus quin
» quilibet catholicus, etiam absque ullius peculiaris nostrae
» declarationis vel admonitionis ope, satis agniturus per se
» sit, quam irregularis, absona ac scandalosa existat prae-
» fati edicti conclusio, in qua ad iniquitatis non minus
» quam nullitatis ipsius edicti cumulum, transgressoribus
» et contraventoribus, illis nempe Fidelibus, qui nulla in-
» terposita mora promptoque animo mandata apostolica ob-
» servant et exequuntur... et Iesu Christi Vicario veram
» illam obedientiam, quam ei quicumque catholicus in pro-
» fessione Fidei spondet, praestare non detrectant, eadem
» secularis potestas poenas imponit, si Ecclesiastici quidem
» fuerint... occupationis bonorum temporalium ac exilii a
» regno,... si vero Laici extiterint, indignationis ipsius se-
» cularis potestatis, praeter alias poenas illius arbitrio ir-
» rogandas usque ad mortem naturalem inclusive. »

« Nihilominus Nos, qui quorumcumque, tam apostolicae
» Sedis quam Ecclesiae iurium assertores in terris a Domino
» constituti sumus, probe intelligentes et recogitantes libe-
» rum Nobis non esse in tam aperta ac detestabili utrius-
» que oppugnatione silere,... nec iis tantum quae hactenus
» gesta sunt congruum adhibere remedium, verum etiam
» aliis, quae SUB IISDEM ERRONEIS, FALSIS DAMNATISQUE PRINCIPIIS...

» deinceps attentari possent, tempestive occurrere cupien-
» tes... motu proprio et ex certa scientia ac matura deli-
» beratione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine,
» edictum... praeinsertum, ac quaecumque in eo contenta
» aliaque omnia sive in illius sequelam, sive eodem consi-
» lio... acta, gesta et ordinata, cum omnibus et singulis
» inde secutis et quandoque secuturis, penitus et omni-
» no nulla, irrita, invalida, iniusta, reprobata, damnata,
» inania, temeraria,... neque illa a quoquam observari posse
» vel potuisse... declaramus. »

« Sciant propterea universi Christifideles eiusdem regni,
» memorato, sive alio quovis edicto... quod in posterum
» promulgari contingeret, non obstante, sese teneri ac obli-
» gatos esse decretis, ordinationibus, mandatis, litteris aliis-
» que provisionibus apostolicis quibuscumque, vigore illius
» potestatis Nobis ac pro tempore existenti Romano Pontifici
» divinitus concessae... veram, integram et omnimodam
» obedientiam praestare atque exhibere. Praeterea cum no-
» torii iuris sit, non tam illos qui praeinsertum edictum
» ediderunt ac promulgarunt, quam alios omnes et singulos,
» cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et di-
» gnitatis quantumcumque excelsae ac sublimis fuerint, qui...
» consilium, auxilium, favorem, vel quamvis aliam damna-
» bilem operam praestiterunt, aut in eorum sequelam et
» executionem similiter gesta approbarunt, et rata habue-
» runt, seu alias in eis quomodolibet culpabiles fuerunt,
» censuras omnes et poenas ecclesiasticas contra similia
» perpetrantes a Sacris Canonibus, generalium conciliorum
» decretis et apostolicis Constitutionibus, ac praesertim lit-
» teris die *Coenae Domini* singulis annis legi et promulgari
» consuetis inflictas eo ipso incurrisse; illasque insuper
» etiam incursuros esse eos omnes, qui similia ad eumdem
» finem quoquomodo impediendi executionem litterarum
» aliorumve decretorum apostolicorum in regno supradicto
» de cetero peregerint... Noverint idcirco illi omnes, etiam
» specialissima mentione digni, a censuris et poenis huius-
» modi, post debitam et condignam Ecclesiae realiter et cum
» effectu praestitam satisfactionem, nonnisi a Nobis, seu
» Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in

» mortis articulo, et tunc *cum reincidentia* in easdem cen-
» suras et poenas eo ipso quo convaluerint) absolvi et libe-
» rari posse... (*sequuntur clausulae*). Datum Romae apud
» S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 11 Ianuarii
» 1715 Pontificatus Nostri anno XV. »

Tertia est constitutio Innocentii X. Cum hic Pontifex audisset prohiberi in Belgio promulgationem bullae *In eminenti* decessoris sui, quod *placito* regio esset destituta, ad Archiducem Leopoldum gubernatorem illius provinciae die 11 Novembris 1651 scribebat: « Hoc quidem audiri sine ani-
» mi horrore non potest. Etenim numquam plane cognitum
» est ab ullo, vel Summo Pontifice, vel Concilio privilegium
» tale *Apostolicae potestatis destructivum* prodiisse, neque
» aliquis hic audeat Principis temporalis privilegium alle-
» gare, quoniam id esset auctoritatem ligandi et solvendi
» animas a Christo Domino soli Eius Vicario, et nemini prae-
» terea concessam, sibi temere arrogare. »

Quarta est Alexandri VII. constitutio die 14 Maii 1658, cuius scribendae ea fuit occasio, quod altera constitutio a se edita die 6 Septembris 1657 ibidem in Belgio promulgata minime fuerat obiecto *placiti* praetextu. « Cum sit alienum a
» ratione et pietate ac religione catholicorum Principum,...
» quod decreta Pontificia animarum salutem, mores ac re-
» gimen Ecclesiae universalis concernentia, ac praesertim
» dogmata fidei continentia, non possint in Provinciis pu-
» blicari vel executioni demandari sine permissione sive *pla-*
» *cet*, cum certissimum sit potestatem a Christo Domino
» Nostro Summo Pontifici eius in terris Vicario traditam....
» nec Pontificalem aut Sacerdotalem dignitatem et auctori-
» tatem cadere sub manu regia..... »

Quinta est Clementis XI. quem ante nominavi: incipit *Alias ad Apostolatus,* data fuit die 27 Octobris 1711.

Succedunt quatuor constitutiones Clementis XIII. quarum binae die 15 Ianuarii 1763, binae die 25 Iunii 1766 editae fuerunt. In harum postrema quae incipit *Quam graviter* ita sanctus ille Pontifex exclamat. « Quid enim fiet in po-
» sterum de divina Ecclesiae potestate, si cum sese exercere,
» suoque ubi opus fuerit iure uti, et ad sibi parendum fi-
» deles adducere voluerit, a laicae potestatis omnino pen-

» dere debeat nutu, nec plus ab iis obedientiae possit exi-
» gere, quam quod eidem seculari potestati libuerit?... si
» in manu sit et arbitrio laicae potestatis illud efficere, ut
» frustra sit quidquid in rebus fidei vel disciplinae vel etiam
» in doctrina morum Ecclesia decreverit? »

Clementis XIII. est etiam decima constitutio *Alias ad Apostolatus* die 30 Ianuarii 1768, dignissima sane quae integra recitetur; sed cum prolixa admodum sit, compendii gratia praetereo. In ea magnanimus ille Pontifex recenset primum iniurias Ecclesiae Christi illatas in quadam christiani principis ditione: interdictum videlicet quominus vel minimum soli spatium dari, addici ad Dei cultum posset, publicationem bonorum cuivis civium indictam qui nomen dare cuipiam congregationi religiosae vellet, abrogationem immunitatis quoad bona ecclesiastica, violationem immunitatis quoad cleri personas, mandata sacrilege edita super celebratione missarum et Sacramentorum administratione, iniectas in Episcopos manus, vetitum ne adiri libere Christus posset in persona sui Vicarii absque gubernii permissione; cumque haec omnia enumerasset, subdit *pessimum horum omnium* esse legem latam ne quod decretum, aut bulla, aut scriptum Romani Pontificis obtinere vim ullam possit, nisi accesserit *exequatur* potestatis secularis. Hac lege, ait, viam sterni ad schisma, avelli christianos ex ipso Capitis sui gremio, gregem a pastore abduci, opprimi iurisdictionem Ecclesiae, hierarchiam divinitus constitutam perverti, divinas praerogativas et Sacra Sedis Apostolicae iura imminui: hac lege addici servitio Ecclesiam Dei quam Deus libertate donavit, nefario et sacrilego audaciae scelere Sponsam Christi Iesu profanis pedibus proteri et conculcari: hac lege in discrimen aeternae salutis adduci innumeras animas, magistratus, iudices, ministros, executores, fautores, approbatores aliosque, qui, cum possint atque adeo muneris sui officio impedire teneantur, non tamen impediunt vel a corrigendo abstinent: nolle se istorum hominum numero recenseri, neque officii sui partes prodere aut deserere, rationem ad tribunal Dei redditurum; itaque vocem se extollere ac denunciare, eiusmodi ausa adversari perpetuae sententiae Ecclesiae, constitutionibus Romanorum Pontificum, decretis

conciliorum generalium, sacrorum canonum praeceptis. Tum declarat ea esse nulla, temeraria, iniusta, iniqua, reprobata, damnata; mandat universis Episcopis ceterisque locorum Ordinariis ut prohibeant quominus ea executione peragantur; denunciat mandantibus, adhaerentibus, consultoribus, fautoribus, executoribus quibuscumque, *ipso facto* iam incurrisse in censuras aliasque poenas ecclesiasticas, quas sacri canones, maxime vero bulla *in Coena Domini* infligunt; absolvi eos non posse nisi a Romano Pontifice, quod si *in articulo mortis* versentur, non alio pacto esse absolvendos quam *cum reincidentia* si forte convaluerint. — Haec omnia Clemens in memorata constitutione *Alias ad Apostolatus*. —

Postrema constitutio prodiit post elucubratam hanc dissertationem. In ea Summus Pontifex Pius IX. fidelis custos illius doctrinae, quae nullis obnoxia variationibus esse potest, arguens illorum protervitatem, qui in Indiis orientalibus obedientiam detrectaverant quibusdam pontificiis constitutionibus, eo quod sanctione *regii exequatur* carerent, pronuntiat: « Putidum impiumque commentum illud est, » Apostolicae Sedi divinitus collata iura, ac traditum a Christo Domino supremi regiminis in Ecclesia clavum, et potestatem humanis placitis, nutibusque arctari, praescribi, » aut imminui posse. Incassum Catholica communione gloriatur qui Petri Cathedrae, ac Romano Pontifici haud iungitur, quique cum Eo non est contra Eum, et extra unitatem se esse fateatur oportet, quique nobiscum non colligit dispergit. » *(Const. Probe nostis 9 Maii 1853).*

Si unquam itaque vero cuilibet ac sincero catholico occasio sese obtulit clamandi « *Petrus locutus est: causa finita est* » nulla profecto hac nostra opportunior. Etenim vix aliam nancisci queas, qua Romani Pontifices adeo instanter graviterque vocem extulerint.

Nisi quod, abducta parumper cogitatione ab iis quae catholici hominis officia postulant, imo etiam ab iis quae morati urbanique ingenii partes sunt, aliud praeterea considerandum temporum nostrorum conditio suppeditat. Suspicio usurpationum, quas Ecclesiae adversarii affinxerunt quaeque fundamentum ipsis praebuere ut *Placiti* legem iu-

berent, dudum evanuit non modo catholicorum oculis (quibus ea criminatio horrendum sonat), sed oculis etiam inimicorum. Neminem profecto reperias qui eiusmodi suspicionem serio concipere vel fovere animo possit, nisi forte vecordia fuerit abductus. « Il Papa (opportune scribit Comes » Solaro della Margherita *Avved. polit.* c. 19) riconosce » tutti i sovrani nelle cose temporali da lui indipendenti; » ed è ben panico il timore, che si arroghi un diritto, che » non potrebbe far valere. QUESTO TIMORE NON V' E' CHI L'ABBIA: » si finge per attaccare la Santa Sede nella sua autorità » spirituale, per demolirla, ove fosse possibile. » Itaque legem *placiti* promere aut servare hac nostra aetate, aliud non est quam STOLIDA IMPIETAS. Percontari idcirco vellem ab iis regum administris, qui in suis regionibus adeo pertinaciter eam legem custodiunt, quid tandem frugis ab ea sibi polliceantur. Sane, si serio animum adverterint, vel inviti necesse est fateantur, non aliam frugem existere, quam principum suorum exitium. Nam populi, si catholicae religionis sint studiosi, depressam ea lege Ecclesiam non sine ingenti animorum dolore ferre possunt; ac propterea id unum ea lege obtinetur, ut in bonis civibus Principis amor sensim restinguatur, pravis arma suppeditentur ad nomen Principis proscindendum, Principi ipsi detrahatur gloria quam ex omnium laudibus plausuque nancisceretur, si nefaria adeo lege antiquata sese ultro exhiberet fidum aeque ac magnanimum Ecclesiae filium.

Secundum haec, alia quoque animadversio sponte enascitur: si nonnullos demas, qui servili quadam atque inconsulta imitatione insistunt maiorum vestigiis, qui tamen compertis Ecclesiae sententiis pedem retrahant necesse est, ceteri qui nihili pendunt canones et anathemata adeoque auctores sunt principibus, ne ab execrando hoc abusu recedant, vel proditores iam sunt suorum principum, vel, si nondum sunt, ubi primum vehementior aliqua institerit tentatio, proditores proculdubio erunt. Facillimum foret hanc veritatem ostendere 1.° rationibus intrinsecis, 2.° facto, 3.° auctoritate hominum gravitate et rerum usu praestantium: si quando contigerit ut de hac re agendum mihi sit denuo, illam exploratis argumentis illustrabo. Sufficiat modo auscul-

tare sententiam viri non doctrina tantum sed etiam sanctimonia insignis, qui institutor fuit aliquando principis in iis qui nunc regnant sane probatissimi, quique ingens sui desiderium reliquit omnibus, iis vero maxime quibus perfrui eius amicitia licuit. Ipse est cl. antistes Angelus Scotti, auctor operis quod inscribitur *Teoremi di politica cristiana:* haec autem sunt gravissima tanti viri verba « Un consigliere politico, che insinua al Sovrano di violare i sacri » canoni, e di non far conto di chi gli ha stabiliti, è propriamente *l'uomo, che con blandi e finti discorsi parla* » *all' amico suo, mentre gli spande la rete dinanzi a'piedi* » (*Prov. XXXVI* 20 *et* 22)... Tale essendo il loro carattere, » non è quindi da stupire, che esso siasi scoverto nelle » ultime rivoluzioni dell' Europa. Tutti i così detti *regalisti*, cioè que' *canonisti per interesse*, che fingeano di fare » la causa de' re per nascondere sotto questa maschera l'odio » contro la Chiesa, ed il desiderio d' ingrandirsi coll'adulazione, quando venne il tempo della tentazione, cioè quando » i re si videro sbalzati dai loro troni, trovaronsi fieri *repubblicani*, e la giustizia de' re medesimi dovè poi condannarli a giusti supplizii. All' incontro nessuna fra le » persone attaccate alla Chiesa, che rispettavano la sua autorità, si vide in que' tempi vacillare, ma restaron tutte » e sempre fedelissime al Sovrano ». (*Teoremi di politica cristiana P. 2 Teor. IV Coroll. 2 e 3*).

ERROR EST MINIME TOLERANDUS, RECENSERE INTER REGIA IURA FACULTATEM SUBIICIENDI REGIO, UT VOCANT, EXEQUATUR BULLAS ET BREVIA PONTIFICUM ATQUE ACTA QUAECUMQUE AD ECCLESIAE REGIMEN SPECTANTIA.

Recte accurateque dictum est, Principes Eminentissimi, Auditores spectatissimi, *errorem esse profecto intolerabilem recensere inter regia iura facultatem subiiciendi regio illi Exequatur bullas et brevia Pontificum atque acta quaecumque ad Ecclesiae regimen pertinentia;* et quo rectius accuratiusque id a me pronunciatum sentio, eo fateor libentius non levi fastidio animum meum turbari et quodammodo deiici, dum certissimae illius propositionis veritatem declarare ac vindicare aggredior. Enimvero quaenam haec est, Deus immortalis! adeo discors atque infelix humanae mentis ingeniique temperatio? Haud sane raro componi et consistere in eodem homine videas religionis studium plenum benevolentiae, plenum sollicitudinis, ac simul contemptum neglectumque illius audacissimum; idem ingenium videas aequi rectique studiosum, docile, apprime sincerum, simulque distorta sententiarum pravitate obcoecatum ac pertinax. Trium fere seculorum spatium exactum est, ex quo complures canonum ac theologiae doctores veritatem, de qua mihi est sermo, palam asserere ac tueri non destiterunt. Quodnam argumentum proferri potest, quod prolatum ab his ante non fuerit? quaenam disputandi ratio sive ad movendum sive ad deterrendum accommodata, quam non ante usurpaverint? quaenam sacerdotalis roboris species desiderari, cuius exempla non superent? Nunquam profecto memoria excident, quotiescumque huiuscemodi controversiarum sese offeret occasio, praeclara illa magnanimorum Cardinalium nomina Althann et Belluga. Hic enim intrepidi illius pectoris aemulator, quo instructus olim ex eadem Hispaniae regione magnus ille Osius extiterat, ad Philippi V. solium accedens regique suum *memorandum* exhibens; *Non licet tibi,* aiebat,

non licet o rex vinculis Ecclesiam adstringere: idque manifestissimarum rationum momentis argumentisque edisserendo confirmabat. Tum extenta manu levique concussu solium veluti tentans, *non expedit tibi*, inquit, non expedit Ecclesiam affligere; regique in mentem revocatis non veteris modo Testamenti, sed ceterarum quoque gentium historiis, postremo in Iberico ipso regno constitit: evolutisque regiarum Hispaniae familiarum regumque singulorum fastis, ostendit rem esse periculi et formidinis plenam lacrimas ab oculis Sponsae exprimere, quae Sponsum habet in caelo haud sane immemorem aut negligentem, sed apprime tenerum ac sollicitum, qui regnorum sortes sua continet manu, vivorumque ac mortuorum iudex est constitutus. Alter vero quem ante nominavi, Cardinalis, inquam, Althann cum vice Regis Neapoli fungeretur, litteras ad Carolum VI. mperatorem scripsit quibus libere contestabatur, nefas illi esse Ecclesiam eiusmodi oneribus ingravare: decessores suos vicario Regum munere functos, conscientiae stimulis eam ob rem laceratos ingemuisse: se nunquam animam fore proditurum, neque, dum regni habenas moderaretur, commissurum unquam ut regium *exequatur* intra regni fines exigeretur. Verum haec adeo fortiter, praeclare fideliterque dicta licet commovere aliquamdiu Principum animos viderentur, obliterata tamen occursu consuetudinum opinionumque inter Aulicos iamdudum subsidentium facile excidebant; ac velut in adversum aggerem impegissent collisa et dissipata, ad tribunal divinum consistebant, testimonium aliquando futurum adversus eos quorum vitio incassum ceciderant. Quid ergo? Num ideo Ecclesiae causa deserenda? Num haec Dei Sponsa, quam uberibus regum (Isaiae verbis utar) enutriri, quam regum obsequiis et famulatu circumdari oportebat, relinquenda sibi erit ut servae similis humi iaceat et catenis onusta, deiecto vultu, in lacrimis ac solitudine degat? Non ita sane. Et quoniam mihi, homini nedum privato sed et omnium minimo nihil pro Ecclesiae caussa proferre nisi vocem fas est, hanc libens extollo ac palam testor, *errorem esse profecto intolerabilem recensere inter regia iura facultatem subiiciendi regio huic Exequatur bullas et brevia Pontificum atque acta quaevis ad Ecclesiae regimen pertinentia.*

Cuiusmodi demum est arrogatum hoc ius regii *exequatur*, seu regii *placet*, qua appellatione frequentius notari solet? Ne in ambiguo versemur, descriptionem minime dubiam proferam ab ipsomet acerrimo huiusce iuris propugnatore confictam. Scitis Bernardum Van-Espen, veterem iansenianum qui perduellis in schismate decessit, fuisse principem regii *placiti* propugnatorem: hunc sui homines uti scientia praestantissimum praedicarunt, neque desunt etiam nunc creduli ac simplices qui eum suspiciant, scripta eius pervolvant eumque *honoris caussa* proferant: hunc, quoties oppugnandi pontificia iura incidat occasio, ubique in prima acie certantem offendas, non quidem aperta fronte, neque enim id sectae suae leges patiuntur, sed personatum arte; doli atque ambagum artificem callidissimum, magnum monumentorum veterum collectorem, quam ob rem amplissimis eum laudibus prosequuntur nonnulli, neque sciunt ipsum fuisse impudentem eorumdem monumentorum corruptorem. Quid multa? habes in hoc homine pessimum canonistarum (1). Iamvero quid de regio *placito* Van-Espen? Sepositis infinitis vocum sententiarumque ambagibus quibus se pro more obvolvit, haec est distincta placiti notio quam praebet. Placitum est *facultas quam civilis auctoritas impertitur bullis ac brevibus pontificiis ceterisque omnibus auctoritatis ecclesiasticae actis, ut vim in sua ditione habeant:* ius autem placiti est *ius defensionis adversus Ecclesiae molimina, naturaliter insitum auctoritati politicae, cuius virtute declarat nullam habere vim bullas, brevia Pontificum atque aliud quodcumque actum ecclesiasticae auctoritatis, quibus facultas illa non fuerit impertita;* addunt nonnulli, *tam in foro externo quam in interno* (2).

Verum quidem est callidum iansenianum acerbitatem sententiae suae oppido mollire, cum simulat velle se bullas doctrinales et dogmaticas a disciplinaribus seponere: quod enim, inquit, detrimentum a veritate, a dogmate, a fide pertimescendum sit populis? At quo animi candore discrimen illud proposuerit testem habetis Cardinalem De Bissy, qui docet ipsum hunc Van-Espen eo prorsus consilio suam opellam de placito praemisisse, ut occupata veluti statione propius deinde aggrederetur bullam illam doctrinalem et dog-

maticam *Unigenitus* (3). Si enim eiusmodi theoria quoad bullas disciplinares approbaretur, facillimum erat viro, qui *Ecthesim* ac *Typum* sedulo versarat, illam ad dogmaticas etiam protendere. Ceterum supervacaneum arbitror in hac distinctione immorari, ex qua id unum infertur, propositionis meae partem extra controversiam esse positam.

Quod vero plurimum interest ad veritatem quam mihi proposui demonstrandam (sive quoad bullas doctrinales sive quoad disciplinares tantummodo, quod adversarii malunt) illud est, ut accurate nimirum expendatur istiusmodi *placitum*, quo distincta eius notitia animo concipiatur.

Audistis iam totam *placiti* naturam in hoc sitam esse, ut neque bullae neque brevia neque actum quodcumque ad Ecclesiae regimen spectans vim ullam habeant, nisi civilis auctoritas permiserit. Atque hic Lazari species mihi ante oculos obversatur, dum e monumento prodit ligatus pedes et manus institis et cuiuspiam qui se solvat operam praestolatur. Cum veterum historias animo versarem, an forte simile quidquam statutum aliis aetatibus fuisset, succurrit violens illa tribunicii magistratus potestas, qua populus romanus senatum ita obstringebat ut vel unum *veto* a tribuno pronunciatum quodcumque senatusconsultum irritum ac velut exsangue deiiceret. Verum attendatis quaeso ingens utrinque discrimen, non modo ratione subiecti (hic senatum, ibi Ecclesiam Christi perspicitis), verum etiam ratione facti; neque enim romana plebs eo impudentiae devenit unquam ut senatui potestatem loquendi absque tribunicio lubito interdiceret: imo (inquiebat) consulat senatus, iubeat, obtemperabitur: at si quid forte sciverit quod in populi damnum cedat, intercedendi vetandique ius tribunis esto. Sed *placitum* frenos Ecclesiae iniicit, ut ne hiscere quidem possit nisi ante praesidi aut syndico, quocumque demum vocabulo censeri placeat, demisso vultu se sistat impetratura loquendi facultatem. Ne plura: machinae similem dixeris, quae licet affabre elaborata suavissimis aptissimisque concentionibus promendis par sit, muta nihilominus atque inutilis iaceat necesse est, quoad musicus manum cylindro admoveat ac sonos pro arbitrio cieat.

Vidistis etiam, rationem ac veluti basim *placiti* esse, ut

aiunt, *nativum quoddam ius adversus Ecclesiae molimina;* quamobrem docent ipsi, ius *placiti* consectarium recta esse alterius iuris, quod *ius cavendi* nominant, cavendi inquam ab Ecclesia. Perurbane dictum! excepisse eos hanc loquendi rationem existimaveris ex pompeiano illo molosso cui epigraphe erat superscripta: *Cave canem;* aut ex iis forte tauris quorum cornibus alligari foenum, ac dici vulgo solebat: *Hunc tu, romane, caveto.* Itaque ut propius adhuc ipsam *placiti* naturam inspiciatis, opus est, auditores, ut vobis matremfamilias domi cum suis degentem velut ob oculos constituatis. Nulli melius quam matrifamilias comparari Ecclesia potest; est enim. E conspectu matris huiusce filios intuemini, quorum aures animique isthac *placiti* disciplina, glaciali veluti spiritu, afflentur assidue: hinc perpetuae domesticaeque ipsorum mentibus umbrae ac diffidentia: hinc suspicione ac pavore conterriti quemvis matris suae gressum, motum quemvis oculis consectantur. Accumbit illa convivio, cyathum natis porrigit?... cave ne sit forte veneno permixtus. Natos hortatura materna invitatione ad se vocat? aures arrige, singula dicta expendito, ne tendicula lateat. Complexus filiorum petit? heu fuge, cultrum veste abditum habet! Quemadmodum ad regionum fines aut portas civitatum si quispiam honesto vultu accedat, nullis inquisitionum molestiis agitur, sed libere progredi sinitur; contra vero si hominem custodes deprehenderint qui vel ipso oris habitu suspicionem iniiciat vel male audiat, ipsum interrogando terebraut, chartas omnes rimantur, scrutantur vestes, postremo per apparitores ad quaestorem adducunt; quae omnia ad rei publicae tutelam fieri oportet: non secus Ecclesia mater nostra, ex *placiti* theoria, ut quae suspicionibus sit obnoxia et filiorum suorum exitium perpetuo machinetur, ad magistratum adducatur necesse est ut imperii saluti sit consultum, quotiescumque ea pro sui gregis regimine aliquid promat.

At enim, alicubi *placiti* legem modeste atque officiose exsequi magistratus solent. Nescio an forte unquam vidistis, auditores, iuvenem quempiam honesto loco natum in custodiam abduci. Urbane profecto admodum res ab apparitore agitur; ceterum, quod rei summam attinet, in custo-

diam traditur secretoque carceri addicitur. Rem itaque nostram quemadmodum ex se est perpendo, eamque ad ipsa adversariorum principia nullis oblita fucis exigo. Ratio quam forte alicubi in *placiti* lege exequenda ineunt sit quidem lenissima; non abnuo: at naturam ipsam rei minime mutat, addo etiam eam esse fortuitam, temporariam, incertam, cum universa pendeat ab ingenio hominum qui *regnant* quive *publicam rem administrant;* nec raro accidit (historiarum peritos alloquor) ut progeneratos a Constantino Constantios videamus.

Audistis postremo ab adversariis praetensum hoc ius *insitum natura* esse politicae auctoritati; quare siquis sibi animo fingeret *placitum* gratiosa concessione innixum (mitto nunc quaerere utrum eiusmodi concessiones revera sint aut quibus adstrictae finibus esse possint), siquis, inquam, hoc fingeret, abluderet prorsus a vero adversariorum *placito,* qui immotis naturae legibus, non vero mobili concessione fundatum illud esse volunt, ac propterea cum propriis atque insitis regni iuribus censent.

Iamvero siquidem hoc ius essentiale est potestati civili, ut audistis, existimabitis profecto *placiti* originem non modo antiquissimam esse oportere sed omnino cum ipsa civili potestate ortam; non secus ac solis radii qui, simulatque ex Amphitrite sol oritur, vivacissimam lucem iaculantur. Recte quidem: nihilominus longe aliter res habet. Nam *regium placet* nonnisi postquam quatuordecim ab Ecclesiae ortu secula decurrissent primo erupit, et quidem ex consociatione quadam idearum erupit.

Iuvat hic proferre ipsa Martini V. verba in bulla *Quod antidota:* « Cum dudum in exordiis pestiferi et antiquati » schismatis... ad tollendum scandala quae propter execu- » tionem diversarum litterarum, quae ab iis, qui Romanis » Pontificibus in diversis obedientiis se gerebant, in non- » nullis partibus oriebantur, Urbanus Sextus in sua obedien- » tia nuncupatus concesserit quibusdam Praelatis quod in » eorum civitatibus et dioecesibus non posset fieri executio » aliquarum litterarum apostolicarum nisi prius huiusmodi » litterae Praelatis ipsis, vel eorum officialibus ad hoc de- » putatis exhiberentur et per ipsos approbatae forent: verum

» quia etiam deinde ipsi Praelati seu officiales in consue-
» tudinem traxerunt, et aliqui praetextu statutorum provin-
» cialium seu synodalium similiter servant et servari fa-
» ciunt, quod litteras apostolicas nullus exequi audeat, nisi
» postquam Praelati seu officiales ipsi per suas litteras, quas
» *Vidimus* seu *Placet* nuncupant, mandant etc. »

Habetis hic, auditores, *placitum* non in sua tantum quidditate descriptum, sed ipso nomine signatum: nisi quod *placitum*, de quo hic sermo, non quidem *regium*, sed ecclesiasticum fuit. At vero res re gignitur, intelligetisque vere a me dictum esse, *regii placiti* origines associationi cuidam idearum deberi.

Ante Urbanum VI, nullum *placiti regii* exemplum; nec aetatum quae praeiverant lapsu principum cuiquam in mentem venit, *placitum* (iuxta praeclarum inventum Bernardi Van-Espen atque eiusdemmodi rabularum) ius esse sibi *naturale et intestinum* (4). Posteaquam vero ecclesiasticum *placitum* in lucem prodiit, agitari cerebrum ac fervescere politicis istis Iovibus coepit, indeque novae instar Minervae, illa politici iuris species erupit, quam cognominem ecclesiasticae esse voluerunt et *placitum* appellarunt. Qua tamen in re adeo aegre ac timide se gesserunt, ut ostenderent ipsos sibi conscios esse, nequaquam se proprium ius exsequi, sed invadere alienum. Atque haec est ratio cur vetustiora, quae produci consueverunt, *regii placiti* exempla non modo ad aetatem magni schismatis universa referantur, aetatem sane tenebricosam furtisque opportunam; verum etiam eiusmodi ea sint ut proprie *regium placitum*, quale ab adversariis confingitur, minime praeferant.

Re quidem vera, antiquissimum *placiti regii* exemplum suppeditat Gallia anno 1381 cum Dux Andegavensis regni administrator coerceri rectorem Academiae Parisiensis iussit, propterea quod recitari in pleno conventu litteras Urbani VI mandaverat, quibus ad obedientiam Dux ille revocabatur. Attamen advertas velim, Urbanum VI. in Gallia nequaquam pro legitimo Pontifice fuisse habitum, sed ut antipapam, qui ab antichristo non differt: idcirco pietati potius in tuenda Ecclesiae caussa quam audaciae regalis *placiti* tribuendum est, quod regnum his litteris interdixis-

set (5). Simile est Martini Siciliae regis facinus; qui anno 1405 in Aragoniam profecturus imperavit suis ne quam Pontificis bullam sive epistolam edi in vulgus paterentur, quam non ante regina legisset approbassetque. Siculi Bonifacium IX. uti Pontificem reverebantur, quem e contrario Martinus, ut Aragonius, antipapae loco habebat. Quamobrem imperata Martini non veri Pontificis bullas percellebant, sed hominis quem opinione sua invasorem existimabat.

Aliud etiam exemplum Gallia praebuit anno 1399 in quo tamen non civilis auctoritas, sed clerus partes egit. Intempestive vero profertur quod anno 1391 in Anglia accidit, cum et nihil prorsus commune cum *regio placito* habeat, atque insuper omni vi caruerit, lata continuo per Bonifacium IX. constitutione *Ab eo*. Denique quod in Lusitania statutum per idem tempus fuit, non iudicandis Pontificum bullis, sed propulsandis commentitiis erat institutum; perturbatis enim rebus, plures eo tempore in vulgus bullae serebantur non sine gravi populorum tumultu ac pernicie.

Quae cum ita sint, qui primum certumque *regii placiti* exemplum expiscari velit, opus est ad sequens seculum progrediatur, cum videlicet Ioannes II Lusitaniae rex, velut instauraturus pravas illas consuetudines quae schismatis aetate inoleverant, statuit (ut legere est penes ipsius chronistam Garziam de Rasende cap. 66.) ne litterae apostolicae vulgarentur absque revisione cancellariae. Quam ob audaciam graviter reprehensus primum a Sixto IV, tum ab Innocentio VIII brevi *Olim* dato die 3 februarii anno 1486, ipse ut erat princeps catholicus (subdit idem chronista) mandatis apostolicis obtemperavit, cum ingenti Pontificis et cardinalium laetitia; neque deinceps quidquam ulterius innovatum fuit.

Alterum exemplum seculo posteriore alibi occurrit, Neapoli, inquam, ubi Dux Complutensis anno 1561 *placitum regium* superbe imposuit; quare a Pio V sacris interdictus, pro catholici hominis debito poenitens se subiecit. Fatendum tamen est ex illo *regalis placiti* tabum radices Neapoli egisse, quae, licet aliquando avulsae, saepius tamen pullulare visae sunt, ita ut numquam ab hac peste regio illa penitus

convaluerit. Neapoli digressi atque seculum integrum emensi tertium exemplum in Gallia habemus; ubi d'Héricourt acerrimus regalista nihil antiquius quoad haec reperire valuit edicto illo quod die 6 maii anno 1665 propositum fuit (6). Galliam excipit Sabaudia edicto die 6 iunii anno 1719, quod Clemens XI bulla *Apostolatus* eodem anno confixit. Pone Germania sequitur, de qua Jung in opusculo cui titulus *obiecta sacrae potestatis exercitatio* testatur 1°. ante seculum XVII nullum *placiti* vestigium exstare; 2°. quin ipsius seculi XVII monumentis diligenter perlustratis, vix languidam aliquam atque incertam *placiti* umbram internosci posse; 3°. ut manifesta atque indubia habeantur documenta, deveniendum esse ad funestam illam ac probrosam Iosephi II aetatem.

Consulto, auditores, missas facio nugas regalistarum diversarum gentium, qui nescio quo consilio (nisi forte aggerandi iniurias iniuriis) alias leges scriptorumque testimonia in medium proferunt, quae nullo modo trahi ad *regium placitum* possunt (7). Sermonem potius convertam ad res Hispaniae et Belgii, quo me Van-Espen revocat qui suppetias caussae suae inde potissimum corrogat. Quod ad Hispaniam attinet, citat ipse caput 35 *Practicarum quaest.* Covarruviae. Capitis summa, ut legenti cuivis manifestum fiet, huc redit: 1°. nulla ibi prorsus mentio legum quae vim auctoritatemque bullis pontificiis derogent, nisi probatae per magistratum fuerint; 2°. sermo dumtaxat est, siqua forte bulla gravissimam iuri regio iniuriam afferret; 3°. tum enimvero comperendinari (atque hoc tantum) bulla solebat, quoad responsum a Pontifice latum fuisset. Secundum haec scriptor, licet vehementissimus regalista, sermonem hoc pacto concludit: « *quae tamen omnia cautissime legenda, ne quid temere fiat adversus iuris divini pontificiam institutionem* ». Verum quidem est, in Hispania decretum *regii placiti* latum fuisse, verum post obitum Van-Espenii, eo tempore quo brevem illam procellam excivit Philippus V, cui Cardinalis Belluga, quem initio memoravi, validissime restitit.

Quod vero ad Belgium attinet, Van-Espenius in medium profert edicta quaedam, quodque mirandum magis est, no-

men Guicciardinii quem Florentiaenobili loco natum admonet. Malo tamen Van-Espenii fato, omnia illa edicta ad trutinam revocavit Van-Den-Zype, nobili loco non Florentiae sed in Belgio ortus, pluresque annos vicarius antistitis Antuerpiae: is in sua analysi iuris pontificii *tit. de Constit.* clare ostendit, nullum omnino ex illis edictis legem *placiti* continere. En quae fides monumentis a Van-Espenio prolatis sit praestanda!

Eorum porro quae hactenus disseruimus haec est summa. Perspexistis mendaci hoc iure id unum quaeri, ut potestas politica ad inanimam veluti cuiusdam machinae conditionem Ecclesiam redigat; idque ea tantum de caussa fieri, ut in filiorum mentibus suspicio inolescat Ecclesiam reipublicae commodis adversari. Intellexistis praeterea monstrosum hoc ius, quamquam essentiale politicae potestati esse effutiant, ignotum plane fuisse quatuordecim seculorum ab Ecclesiae originibus intercursu; posteaquam vero e tenebris ad contristandam Ecclesiam erupit, aegre admodum lenteque reptasse, paucissima proferri posse exempla, quae ceterae gentes imitari diutissime recusarunt, ac postremo ius illud ab ipsis saepe actoribus improbatum, ab Ecclesia exsecratum constanter fuisse. Quae omnia cum apertam usurpationem iuris, tum reluctantis conscientiae stimulos quibus usurpatores ipsi urgebantur ostendunt. Haec demum est natura *placiti* illius, quod intolerabili errore regiis iuribus adnumerari demonstrandum mihi proposui.

Nisi quod, auditores, necessitas ipsa instituendi hasce demonstrationes stomachum movet. Enimvero habetis ante oculos Sponsam Christi adstrictam vinculis, ad tribunal filiorum suorum adductam, qui pro libidine vel silentia indicunt vel fandi libertatem ipsi permittunt. Utrum autem tolerari haec debeant erit ambigendum? Quod siquis scitatus fuisset num tolerari ea possent erga parentes quos ipsa nobis natura dedit, si fides est habenda Tacito Annalium IV, tantam in romanorum animis indignationem concitasset, ut in atrocem illam exsecrationem erumperent continuo: *parricidarum poenas, robur et saxum.* Memini, me adhuc adolescentulo, cum lecti quidam iuvenes humanitatis studiis exculti Polynicen Alfierii in scenis agerent, inque honestis-

simo spectatorum consessu et ego assiderem; ubi eo ventum est cum, inter colloquia quae cum matre et sorore serebat, Polynices repente animo turbatus, obducta fronte veritusque insidias in ipsa hostili regia, quo pedem imprudens intulerat, defixis in matrem ac sororem oculis, has pectore voces rumpit:

> Ma voi . . . che io ascolto . . . voi
> Che in amica sembianza a me dintorno
> Rimiro . . . oh ciel! chi'l sa, se in voi s'annida
> Inganno o fè? . . . . . .
> . . . . . . A me tu madre . . .
> Sorella tu . . . Ma che perciò?

ad ea verba « *ma che perciò* » horrere repente quotquot aderamus ac fremere; horrendum quippe visum est universis proditionis speciem in corde matris suspicari. Iamvero ut eo redeam unde discessi, circumspectamus hinc Ecclesiae filios perpetua maternarum fraudum suspicione agitatos, compedes illi veluti suo iure iniicere ac fauces obstruere; inde vero rationum momenta adhibere cogimur ut planum fiat eiusmodi spectaculum esse omnino intolerabile! Esto: planum faciam.

Cur vero *intolerabile* est dicendum? quia intolerabile illud Ecclesia a suis inde primordiis ad hanc usque diem declaravit: declaravit *implicite* antequam *placitum* existeret, *explicite* postquam irrepsit. Nostis, auditores, plenam Ecclesiae libertatem non modo in iis quae ad fidem sed in his etiam quae ad disciplinam spectant, esse caput doctrinae quam perpetuo professa est Ecclesia. Revocare in memoriam sufficiat celebrem illam provocationem qua S. Athanasius arianos compellabat. « Multae antehac synodi coactae » sunt: multa prodiere Ecclesiae decreta; sed numquam Pa- » tres res huiusmodi imperatori suasere, nunquam impe- » rator Ecclesiastica curiose perquisivit, . . . (περιειργάσατο; » quae vox perbelle in *placitum* quadrat) spectaculum no- » vum, quod arianae haeresis inventum est. » *(Hist. Arian. ad Mon.)* Dicetne quisquam synodos et decreta eatenus fuisse omnia dogmatica?

Pressius rem urget Lucifer Calaritanus qui Constantium compellans ait: « Proba te super nos factum iudicem, proba

» ad hoc te constitutum imperatorem, ut nos armis tuis ad
» omnem implendam voluntatem amici tui diaboli perdu-
» ceres. Cum probare non possis, quia praeceptum sit tibi
» non solum non dominari episcopis, sed et ita eorum obe-
» dire statutis, ut si subvertere eorum decreta tentaveris,
» si fueris in superbia comprehensus, morte mori iussus
» sis; quomodo dicere poteris, iudicare te posse de episcopis,
» quibus nisi obedieris, iam, quantum ad Deum, mortis
» poena fueris multatus? Cum haec ita sint, tu qui es pro-
» fanus ad Dei domesticos, quare istam sumis in Dei sa-
» cerdotem auctoritatem? » Theodorus Studita (Theocterist.
in vita S. Nicetae c. 5. apud Bolland. die 3 apr.). « Ne dis-
» solvas, inquit, Imperator, ordinem Ecclesiasticum: ait
» enim Apostolus, quosdam quidem Deus in Ecclesia Apo-
» stolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas,
» alios autem Pastores et Doctores ad consummationem San-
» ctorum: non addidit Reges. Tibi, o Imperator, commissus
» est politicus status atquè exercitus; horum curam gere;
» Ecclesiam autem permitte Pastoribus, atque Rectoribus
» iuxta Apostolum. » Sane, auditores, si inane illud *pla-
citi* ius consistat, Ecclesiae constitutio subvertatur oportet:
romanus Pontifex haud absimilis Iaponum Dairo fiet, illi
siquidem nomen summae potestatis constabit, potestas vero
ipsa in principes transferetur. *Nos* (audire mihi videor lo-
quentem Pontificem) *nos quibus Christus ait: quodcum-
que ligaveris super terram.....* Quid hoc rei est? loquen-
tem Siogunus interpellat: *quodcumque,* dicis? at plura de-
stituentur *placito*, atque adeo caritura vi et auctoritate
concident. — Ulterius, *ligaveris in terra...* Falleris, in-
quit: *ligare* enim vim legis significat; at meum *placitum*
vim hanc impertit: non itaque tuum, sed meum est li-
gare. Quod si tuas has fore partes arbitraris, fac sodes pe-
riculum; *placitum* ego negabo, atque invitus ipse ligabe-
ris. — Haud hic finis: *erit ligatum in caelis.....* Satin sa-
nus? si dixisses *ligabitur*, minus commode profecto di-
xisses: quî enim polliceri absolute audeas, quod ab arbi-
tratu pendet meo? At enim, *erit ligatum!* pronunciatum
in terris, sancitum in caelis! fulguris instar quod paret
ab oriente iamque occidentem pervasit! Atqui terrestre

mandatum sanctionemque illam caelestem *placitum* intermedium excipiet. Pluribusne opus est, auditores, ut Ecclesiae constitutio, quemadmodum scite inquit Studita, evertatur?

Illustriora quaedam testimonia memoravi, vel quod aliarum testificationum fecunda admodum ex se sunt, vel quod quaestionem medullitus attingunt. Ceterum si quis mallet plenam hac de re Ecclesiae doctrinam, velut in tabula descriptam, illam adumbrare expeditissime possum. *Trecentis prioribus annis,* ipsos adversarios credo daturos, Ecclesiam quin opperiretur Neronum *placita,* prompta exegisse Pastorum mandatis obsequia: neque sane desunt illustria monumenta, cuiusmodi sunt Epistola LV. S. Cypriani, decretum synodale in eadem epistola memoratum, quo immo decreto derogatur legi mere civili, acta in caussa Samosateni; adde provocationem paulo ante memoratam S. Athanasii ad Arianos, quae hanc quoque aetatem complectitur (8). *Posterior aetas*, quae produci ad *S. Nicolaum I.* hoc est ad medium seculum IX. potest, luculentissima est testimoniis iam ante recitatis; quibus insuper alia innumera atque omnino consonantia accedunt 1°. *Sanctorum Patrum,* in quibus nobilissima sunt testimonia Osii, S. Hilarii, synodi Alexandrinae universae (anno 339), S. Gregorii Nazianzeni, S. Ambrosii etc. (9): 2°. *Principum ipsorum*, in quibus nota sunt omnibus testimonia Constantini penes S. Optatum, Valentiniani apud Sozomenum, Honorii in epistola ad Arcadium de S. Ioanne Chrysostomo, Theodosii iunioris, Valentiniani III, Caroli Magni etc. (10). Venimus itaque *ad aetatem Nicolai I,* quam proferre ad schismatis tempora iuvat. Heic vero vel ipsi adversarii dant manus et loco cedunt; enimvero, inquiunt, toto hoc temporis spatio regnum isidorianorum dogmatum tenuit. Supervacaneum est igitur testificationes huiusce aevi congerere. Illud modo animadvertisse iuverit, primas laicorum hominum rebelliones quae adversus potestatem libertatemque ecclesiasticam hoc aevo vertente extiterunt, clariorem lucem afferre huic tabulae quam primis veluti lineis designavi: etenim Arnaldi Brixiensis, Marsilii Patavini et Ioannis Wicleffi nomina oculis obversantur, ceu monumenta quibus edocemur, doctrinam *placiti* antequam etiam e te-

nebris excitaretur, Ecclesiae doctrina damnatam *implicite* fuisse.

Atqui perpulchrum esset reprobatam *explicite*, priusquam etiam erupisset, videre. Praesto sum, auditores. Actione 1. concilii Constantinopolitani IV. (anno 869) praefectus imperatorius rogavit nomine etiam Episcoporum legatos apostolicos ut litteras mandatorum ac potestatis suae testes exhiberent. Indignabundi legati responderunt: *hoc nos usque nunc non invenimus in universali synodo factum, ut vicarii senioris Romae a quolibet perpendantur, utrum talem existimationem habeant.* Quibus praefectus: *et nos propter inhonorantiam apostolici throni non dicimus hoc, sed quia anteriores vestri accedentes missi, Radoaldus scilicet et Zacharias, deceperunt nos, alia in mandatis habentes et alia facientes.* Ita ea etiam in civitate, ubi apostolica auctoritas perpetuo bello impetebatur, improbatam *explicite* habetis doctrinam *placiti* antequam oriretur.

At ubi se in lucem profudit, quae fuerit Ecclesiae mens et sententia, paucis expediam. Novem constitutiones exstant, quas totidem Romani Pontifices dedere ad *placiti* damnationem (11); nec in his censeo anathema a S. Pio V indictum adversus Complutensem Ducem, congregationes ex mandato Gregorii XIII habitas illarumque responsa, decretum Congregationis *de Propaganda Fide* die 2 Octobris 1673 approbatum a Clemente X die 4 Octobris eiusdem anni, bina decreta congregationis S. Officii, alterum die 27 Februarii 1737, alterum die 4 Septembris eiusdem anni, a Clemente XII adprobata, querelas Pii VII. contra articulos organicos reipublicae gallicae, constitutionem *Apostolicae* a regnanté summo Pontifice die 22 Augusti 1851 editam; recensui quidem inter novem illas constitutionem, cuius attendi volo auctorem, nimirum Benedictum XIV., tempus, hoc est diem 30 Martii 1742, clausulas, quas perlegi ab iis cupio qui Benedicti concessiones iactare solent. Ceterum illud mihi proposui, ut ostenderem tolerari minime posse errorem eorum qui usum *placiti* non in quapiam forte concessione, sed in ipso regni iure statui contendunt. Quare ne a proposito digrediar, praetereo nunc concessionum ostentatores; atque eadem de caussa illos praetereo qui

placiti usum quadam nescio qua tolerantia stabilitum censent; cui tolerantiae non modo *factum* adversatur, sed et *ius*, quandoquidem sexcentae decretales declarant nullam vel minimam praesumptionem assensus captari inde unquam posse. Sed haec, ut dixi, in praesentia missa facio. Illud praeterire nolo, bullam inquam *In coena Domini*, quae cum a prima *placiti* origine recitari publice quotannis consueverit, placiti damnationem sexcenties cumulavit.

Iuverit hic, auditores, aliquantum consistere, propositaque oculis ingenti hac sententiarum et damnationum mole quas Ecclesia pronunciavit, adversarios coram percontari. Vos tuemini, *placitum* esse ius certum, ab ipsa iustitiae lege profectum, essentiale politicae potestati: Ecclesia vero continenti iudiciorum serie, cui nulla fortasse comparari in universa historia queat, ab ipso sui exordio usque ad Pium IX *placitum* damnat atque expressis verbis definit (ita profecto Leo X, Clemens VII, Clemens XI, Benedictus XIV) *contrarium omni iustitiae, indecens, absurdum, temerarium, scandalosum, pravitatem intolerabilem*, *dignum aeternis poenis*, atque ideo anathemate, quae est *poenarum maxima*, plectit. Nullus heic evadendi locus. Aut ponite aliquando (dicam verbis concilii quod citari saepius a regalistis solet, concilii nimirum Constantiensis sess. XIII.) ponite, inquam, catholicorum personam quam perperam geritis, neu cunctemini quin Ecclesiam audacter incusetis, quae iam inde ab initio ad hanc usque diem perpetua constantique sententia definierit malum, iniustum, absurdum et intolerabile flagitium, id quod bonum, quod iustum, quod essentiale regnorum ius est; sin autem fateamini oportet errore profecto intolerabili vos esse implicatos.

Sane propositis S. Theodori Studitae verbis vidimus, auditores, constitutionem Ecclesiae labefactari doctrinis *placiti;* quapropter S. Pius V dum ageretur caussa Ducis Complutensis vehementerque solicitaretur uti vellet *placiti* usum permittere, se *non posse* respondit, quin ipse se Primatu abdicaret. At fingamus, quaeso, Christum alia omnino ratione Ecclesiam constituisse, legesque et decreta Vicarii sui regum *placitis* subiecisse; quidnam tandem de ipsius regimine et conditione futurum fuisset? Quisque facile intelli-

gat. Mandatum idem huic gratum, ingratum illi accidit; alios hic modos legi, ille alios vult imponi. Haeccine est nova Ierusalem, annon potius nova Babel?

Hactenus de Ecclesiae constitutione dixi: quid iam de auctoritate dicam? Cum homines quotidiano spectaculo assueverint ecclesiasticae auctoritatis quae sese politicae potestati, tamquam magistrae ac dominae, demittit; cum experimento viderint ecclesiasticam a civili potestate perpetuo premi; dubitandumne quin Ecclesiae auctoritas in animis populorum sit imminuenda? quin vilior ipsis etiam praesulibus futura sit? quin cleri aulici genus succrescat, cuius oculos regiae chlamydis splendor magis quam tiarae pontificiae dignitas perstringat? Aucta vero hoc modo temporalis potestatis existimatione, spiritualis contra diminuta, nonne futurum videtur ut practicus quidam materialismus atque epicureismus necessarie omnium animis obrepat, atque adeo finis ipse Ecclesiae in summum discrimen adducatur? Igitur habetis Ecclesiae finem extremis obiectum periculis, auctoritatem collapsam, regiminis rationem turbatam atque subversam; nonne haec omnia intolerabilia dicenda erunt?

Eia, addam cum Cardinali Belluga, et vos ponite praecipi a Summo Pontifice ne cui legi in vestris ditionibus obtemperetur, nisi ante *placitis* Nuntiorum aut Episcoporum fuerit probata; idque *ad tutandum bonum publicum spirituale*, nequid forte huic bono infensum iubeatur. Placetne?... cunctamini? elabi quaeritis? Equidem novi regalistas eo usque dedidicisse christianae doctrinae principia, ut dicere non dubitaverint usurpaturum Pontificem regiâ iura in aliena ditione, si quid eiusmodi auderet. Verum haec propositio schismatica est atque haeretica, hisce notis confixa a Congregatione S. Officii anno 1654 probante Innocentio X; ipsi etenim infantes nostri norunt, Ecclesiam cui regendae praeest Christi vicarius regnum esse, quod universum terrarum orbem amplectitur; atque adeo vicarium Christi leges ubique terrarum condere debere, quibus Ecclesiae bono ac regimini prospiciat. Eone confugietis, ut dicatis Principes iure sibi ab Ecclesia pertimescere, et non posse Ecclesiam irrogare hanc iniuriam Principibus? Itane

ergo verae rerum notitiae pervertuntur? Vae tibi, inquit Spiritus Sanctus, qui dicis bonum malum et malum bonum. Princeps merito sibi ab Ecclesia timet, iniuria a principibus Ecclesia! Cedo regulam qua iudicium de hac propositione feramus. Regulam sanae rationis vultis, an historiae? Atqui Ecclesia ad hunc finem instituta fuit a Christo, ut quemadmodum cetera omnia vitia, ita etiam iniustitias usurpationesque convelleret; huius rei gratia Christus singulari praesidio praesto semper est Ecclesiae; huius rei gratia pastores probatae virtutis eidem praesunt. E contrario in civili principatu, ut qui bonis tantum sensilibus ac terrenis inhiat, natura inolevit ambitio amplificandae potestatis suae. Quae cum ita sint, adeo vos abripi mente sinitis ut effutire non dubitetis, Principatum sibi iure ab Ecclesia timere, minime vero a principatu Ecclesiam? Historiam ergo consulite. Quid illa docet? Maximae usurpationes, quarum historia teste, ut dicitis, Ecclesiam insimulatis, ipsae vos revincunt. Neminem fortasse acerbiori declamatione exagitare solitum vobis quam S. Gregorium VII, quem non modo Sanctum Ecclesia pronunciavit, sed eo potissimum nomine quod Ecclesiae libertatem invicto animo asseruit (12). Ceterum dum historias repeto, Ecclesiam video incolumitati regnorum assidue prospexisse, studium omne propere impendisse in placandis populorum turbis, civilem societatem ab imis quandoque radicibus concussam sustinuisse; ad haec concordatorum seriem video, quae viva Ecclesiae sacrificia merito dixeris. Contra civilis potestatis fastos relegenti occurrit, inde ab aetate S. Ambrosii (cf. *Ambr. Ep. ad soror.*) usurpationes Ecclesiae damno a principibus peractas adeo in omnium oculis atque ore positas fuisse, ut in consuetudinem proverbii vulgo venerit: avidos magis esse imperatores sacerdotii quam sacerdotes imperii. Atqui nondum ea perspexerant, quae deinceps posteri, quae nosmet ipsi ad hanc usque diem oculis usurpavimus. Duo dicenda supersunt, quorum alterum mearum est partium, alterum adversariis maximo ipsorum probro unicum restat.

Quod me attinet dico, neque *Ecclesiam* adversus *statum* neque *statum* adversus *Ecclesiam* posse sine maxima iniuria *placito* uti; licet enim Ecclesia de vobis, vos de Ec-

clesia (quod vel cogitare horrendum est) suspicari possetis, neutra tamen pars ius aliud haberet quam vigilandi, et, si quidem constaret suspicio, tuendi se *intra ordinis et iustitiae leges* (13). At vero aemulum punire, et quantum in vobis est ipsam vestrum matrem punire (14), illamque iuribus sibi propriis ac libertate multare, antequam noxam ullam admiserit, hoc enimvero inauditae tyrannidis est; quemadmodum profecto inauditae tyrannidis foret, vel infimae sortis hominem carceri perpetuo addicere eo solum nomine quod timor subrepserit, ne quando homicida sit futurus. Hinc est quod Ecclesia nunquam eiusmodi *placitum* usurpavit, ne iis quidem temporibus quae vos despotismi ecclesiastici nominatis: VOS USURPASTIS!

Vobis autem hoc unum dicendum superest, cum tutela boni sensibilis ac terreni curae sit vobis, Ecclesia vero bonum spirituale tueatur, propterea vestri quoque iuris esse Ecclesiam iugo premere, quia bonum temporale longe maioris momenti sit quam spirituale: detestabilem profecto doctrinam, unde vires ducit antiquum Satanae bellum adversus Christum, quam plenius evomuere turpes illi superioris aetatis philosophi, quam uti normam regendae rei publicae volteriani ministri constituerunt, quae postremo doctrina, legis veluti specie inducta, populos materialismi atque epicureismi erroribus sensim imbuit. Quorsum id casurum putatis, auditores? Principio semel constituto, cetera quae cum ipso necessarie connectuntur necesse est consequantur. Si extrema hominis felicitas in perfruendis rebus caducis sita est, communismus profecto iustus est et sacrosanctus; nullus enim hominum potest, nedum debet, supremae suae felicitati nuncium remittere. Ergo druidae communistae consequens ad logices normam duxerunt; culpa in eos recidit qui populum eiusmodi principiis imbuerunt.

Regium placitum fuit reapse *constitutio* a principibus Ecclesiae imposita. Successiones eventusque rerum suum cursum tenuerunt, nec multo post *constitutiones* a populis impositae principibus sunt sequutae. *Tutela* iuris regii adversus Ecclesiam praetextus *placiti* fuit: constitutionum praetextus fuit *tutela* popularis iuris adversus reges. Illi moerorem Sponsae Christi neglexerunt; Christus avertit ocu-

los ab eorumdem luctu atque aerumnis. Non penitus tamen avertit. Tum enimvero speciem maternae pietatis Ecclesia exhibuit. Nam ipsa quae afflicta ac depressa a principibus fuerat eorum caussam ultro suscepit, qua precibus qua minis institit, nihil intentatum reliquit ut procellam averteret: atque haec dissipari visa fuit. Quid posthac fiet? Edocti hisce eventibus homines resipiscent? Faxit Deus ne religiosum illud studium, quo hac nostra aetate commoveri atque ultro fervescere tot augusta pectora vidimus, intercidatur aulicis assentatorum blanditiis, quae denique in damnum exitiumque regum, ministrorum ac gentium unice cedunt.



ADNOTATA

(1) Recitabo grave testimonium quod de istiusmodi homine protulit Archiepiscopus Ambronensis in sua instructione pastorali an. 1731. « Van-Espen canoniste flammand dont la memoire tonte récente est » en horreur dans les pays-bas catholiques, partisan zelé de Jansenins » et de ses erreurs » et paulo inferius « Ne pouvant plus (Van-Espen) » trouver d'asile dans les pays-bas catholiques a été obligé d'en cher- » cher un dans le sein de l'hérésie, *ou il est mort depuis peu de tems » dans la profession publique du schisme, dont il avoit entrepris la » défense, et de l'erreur, dont il n'a jamais voulu se départir* ». Adiiciam etiam gravissimum testimonium Cardinalis de Bissy *Instr. past.* du 7 Jun. 1722. « On reconnoit d'abord dans son ouvrage (del Van- » Espen) le caractére de tous les écrits des Novateurs par l'affectation » sensible qu'on y voit pour rendre le Pape odieux et inspirer le mé- » pris de son autorité ». Loquitur hoc loco Cardinalis de Van-Espenii tractatu circa censuras ecclesiasticas. Verum id quod ipse affirmat de hoc tractatu, subdit cl. Auctor Historiae turbarum Ecclesiae Ultraiectensis L. IV. §. VIII. n. 16. de ceteris quoque Van-Espenii operibus dici potest. Nomen quo ipse penes gregales sectae iansenianae *(le nom de guerre)* designabatur, erat *M. Antonin.*

(2) Praeter opusculum *de promulgatione legum ecclesiasticarum* habet Van-Espen capitulum de *placito* in suo opere *Ius ecclesiasticum universum (P. 2. Tit. 24. c. 6.)* quod capitulum mirabili fraudum textura est elaboratum. Initio fucum bardis facit excerptis aliquot locis ex egregio scriptore Charlas, ipsique pessima sua, ut solet, fide personam propugnatoris *regii placiti* affingit, cum e contrario vehemens impugnator fuerit: memorat lumen S. Spiritus quo illustrantur Pontifices *in rebus doctrinalibus;* heic vero cunctari, haerere, pios furtim gemitus edere, atque in his, veteratoris arte magistra, selectas eiusdem Charlas voces usurpat: subnectit loca quaedam ex Guicciardinio et Covarruvia deprompta nonnullaque regia edicta, quorum deinde pretium expendemus: finem postremo dicendi facit (iniecta etiam religione) affirmans principes Belgii non modo posse, sed *debere* uti iure *placiti*, quandoquidem obligati sint, ut ipse ait, sacramenti fide *quo in sua inauguratione se adstringunt, quod neminem subditorum tractari sinent praeter ordinem iuris singularum civitatum (ibid. n. 20)*. O sanctam ac religiosam animulam! quam penitus incessit pavida illa ac delicata religio Herodis Baptistam interimentis *propter iusiurandum*,

(3) Confer cl. Pecorelli Iur. Eccles. Inst. Tom. I. pag. 47. Neap. 1842.

(4) Non modo ab Ecclesiae exordio, quatuordecim scilicet seculorum spatio, sed ab ipsa mundi origine nemini unquam principum in mentem venisse affirmavi *placitum ius esse sibi naturale et intestinum*. Quin apud romanos contrarium plane videas; nam ***Auguratus*** dici revera poterat propugnaculum Patritiorum adversum populi leges.

(5) Quoniam in ea controversia de legitimo Pontifice non omnes in Gallia eamdem cum regni administratore opinionem habebant, idcirco Ioannes Iuvenalis Ursinus Archiepiscopus Rhemensis, historicus pene coaevus, cum id enarrat quod a Duce Andegavensi gestum fuit, ipsum violenter et contra ius egisse queritur.

(6) Ergone existimabimus ignorasse d'Héricourt decretum a supremo regni consilio latum die 14 decembris 1639? Nihil minus: sed cum non aliud eo decreto statueretur nisi ut bullae et brevia pontificia exhiberentur episcopis, probe intelligebat eiusmodi decreto 1°. tacite significari nullum potestati laicae ius esse in iis quae ad Ecclesiae regimen spectarent: 2°. aperte manifestari agitationem animi qua regii administri manus extendebant ad bullas Pontificis. Id quod proculdubio d'Héricourt ignoravit, est edictum non multo ante citatum ab Abb. Lequeux; agitur enim de edicto quod Ludovicus XI. promulgavit anno 1484, hoc est anno ab eius obitu iam elapso.

(7) Eiusmodi est lex Ferdinandi I regis Neapolitani lata die 24 aprilis 1473, in qua nulla est mentio sedis apostolicae, quae profecto formulis generalibus comprehendi non potuisset: eo vel magis quod, cum regni dominium a Pio II caperet, Ferdinandus fidem dederat sese non modo obstiturum nunquam quominus litterae quaevis apostolicae libere promulgarentur, sed in eos animadversurum qui prohibere illas auderent. Eiusmodi est etiam privilegium, cuius gratiam Ferdinando et Isabellae fecit Alexander VI anno 1493 eorumdem rogatu, expendendi nimirum bullas indulgentiarum; quandoquidem, quaestus caussa, plures ab impostoribus confictae circumferebantur in Hispania. Atque hoc ipso quod istaec facultas privilegii et gratiae nomine impertita fuit, tantum abest ut ea arbitrarium *regii placiti* ius *potestati politicae intrinsecus inhaerens* confirmet, ut imo refellat ac proruat. Eiusmodi sunt concessiones Duci Sabaudiae permissae a Nicolao V, tum ab aliis Pontificibus confirmatae, ad quas referuntur tam edictum Emmanuelis Filiberti Ducis 1 octobris 1555, quam testimonia praesidum Thesauri et Da Ponte etc., quae circulatoria iactatione adversarii obtrudunt. Porro ridiculo sane consilio subalpini regalistae connisi sunt, ut exempla ab his documentis extunderent, quibus vacillans *regii placiti* ius solidari videretur, tum quod si iuris huiusce fundamentum in concessione nititur, frustra iactitant *intrinsecus sceptro illud inhaerere*, tum quod in iis concessionibus nihil omnino habetur quod *placitum regium* spectet. Eiusmodi postremo sunt singularia aliquot principum mandata quoad bullas beneficiales, quae adversariis favere nullatenus possunt, utpote eo consi-

lio belli tempore emissa, ne quis adversae factionis homo ad aliquam dioecesim regendam eligeretur. Ceterum percontari mihi liceat ex regalistis, forensibus plerumque hominibus: auditumne unquam est, latronem aut facinorosum quempiam coram iudicibus caussam pro se hoc pacto dixisse: *absolutum me hinc, iudices, dimittite, quandoquidem ego et familia mea mecum iamdu. um haec patrare consuevimus?* Atqui huc tandem tota regalistarum ı .tio vertit: *Ecclesia alias etiam oppressa fuit, sinite ergo ut ipsam aeternum opprimamus.*

(8) Quin etiam, ne a primis hisce temporibus abscedamus, fas est adversarios percontando urgere. Nero ac Diocletianus iure *placiti* potiebantur, annon? Affirmant? Novum hercle ac festivum! Negant? Ergo ne recentiores quidem reges eo potiuntur. Si enim essentiale est regnanti, non potest nostris regibus tribui, denegari Diocletiano. Quin eo potiori iure illud sibi Diocletianus adiudicasset, quo ab Ecclesia erat alienus, nostri vero principes baptismi gratia sunt illi subditi. Vel itaque absurdum sibi concoquant, vel fateantur necesse est, *placitum* haudquaquam ius regium esse.

(9) *Osius* apud S. Athan. Ep. ad Mon., *S. Hilar.* l. 1. ad Constantium, *Conc. Alex.* Ep. Synod., *S. Greg. Nazianz.* Orat. 17., *S. Io. Chrysost.* hom. 15. in 2 ad Cor., *S. Ambros.* in Auxent. et Ep. ad soror., *S. Isid. Pelus.* l. 3. Ep. 249., *Synesius* Ep. 53., *S. Felix III.* ad Zenon. Imp., *S. Gelas.* ad Anast. Imp., *S. Symmach.* ad eumd., *Fulgent. Ferrand.* Paraen. ad Regin. nn. 16. 17., *Facund. Herm.* l. 12. cc. 3. 4., *S. Greg. M.* in Ps. quintum poenitential. v. *Tota die exprobrabant etc.* et Ep. ad Maurit. Imp., *S. Greg. II.* ad Leon. Imp., *S. Io. Damasc.* or. 1. et 11. de ss. Imag., *Aemilian.* Ep. Cyzic. apud Baron. an. 814. n. 12. et alii. Quin etiam absolutam hanc potestatis ecclesiasticae libertatem in iis omnibus quae ad Ecclesiae gubernationem pertinent, quam SS. Patres unanimi constantique consensione asseruerunt, iidem *triplici doctrinae capite* enuclearunt atque illustrarunt. 1°. Bona temporalia, quae *finis* sunt civilis societatis, subesse debent bonis spiritualibus quae *finis* sunt Ecclesiae: atque haec est *doctrina perpetua, constans et fundamentalis ipsius Ecclesiae.* 2°. Potestas civilis prae ecclesiastica eamdem rationem servat, quam in homine corpus prae anima. Ita *S. Greg. Naz., S. Io. Chrysost., S. Isid. Pelus.* ll. cc.; ita sequiori aevo *s. Yvo Carnut.* Ep. 51. ad Henr. Angliae Reg., *Hugo a S. Victore* l. 2. de Sacram. p. 2. c. 4., apud Theologos Constantienses, *Alex. Halens.* 3. p. q. 40. membr. 2., *S. Bonav.* L. de Eccl. Hierarch. p. 2., *s. Thom.* 2. 2. q. 60. art. 6. ad 3., *Theoll. Conc. Const.* in fusiori damnatione 45 articulorum Ioannis Wicleffi, et *vulgo Doctores*, quemadmodum citati Theologi dicunt: (videsis nonnullos apud Lessium *Defensio* p. 2. sect. 1. probat. III. nn. 78. 79.). 3°. Voluntas Dei creatoris dirigens universa ad supremum finem, quo ipsamet Ecclesia tendit, ideo potestatem civilem instituit ut Ecclesiae deserviret, eique praesto esset instar medii ad finem suum assequendum. *S. Caelest. I.* Ep. ad Theodos., *S. Leo M.* Ep. ad Leon. Ang., *S. Greg. M.*

l. 1. Ep. 65. ad Maurit. Imp., *S. Isid. Hispal.* l. 3. sentent. c. 53. Ne plura: haec doctrina cen fundamentum est christianae philosophiae universae.

(10) *Constantinus, Valentinianus, Honorius* ll. cc., *Valentin. III.* nov. de episc. ordination. in cod. Theod., *Theod. Iun.* ad Syn. Ephes., *Theodoric.* in IV. Syn. Rom. snb Symmacho Papa, *Iustinian.* nov. 83. c. 1., *Carolus M.* Can. In memoriam dist. 19., *Basil. Maced.* act. nlt. Conc. Constantinop. IV. an. 869; et alii. Hoc doctriuae depositum cnm sedulo excepisset pins Galliae rex Ludovicus VII., abominatus Federici imperatoris scelera inquiebat: « *An ignorat praedictus imperator, quod Dominus noster Iesus Christus, cum esset in terris, Beato Petro, et per eum universis successoribus eius oves suas pascendas commisit? Nonne audivit in evangelio ab eodem Dei Filio eidem Principi Apostolorum dictum* : Simon diligis me? Pasce oves meas? *Numquid sunt hic Francorum reges, vel aliqui praelati excepti?» Baron. an. 1162 n. 10.*

(11) *Bonif. IX.* an. 1303. apud Ughelli Ital. Sacr. tom. 7. Archiep. sypont., *Martin. V.* Qnod antidota an. 1418., *Innoc. VIII.* Olim 1486, *Idem* Officii nostri 1491, *Leo X.* In supremo 1518, *Clem. VII.* Romanus Pontif. 1533, *Innoc. VI.* Decet 1689, *Clem. VI.* Ad Apostolatus 1719, *Bened. XIV.* Pastoralis 1742. Non abs re erit aliquid ex his constitutionibus lectorum oculis subiicere; unum dumtaxat locum ex Leone X decerpam. « *Nos* (inquit) *petitionem huiusmodi* (subiiciendi nimirum *placito* constitutiones pontificias) *UTI RATIONE CARENTEM, cum Romani Pontificis gesta non debeant per inferiores sibi et subditos examinari, INDECENS ET ABSURDUM, quin imo TEMERARIUM esse censentes, quod aliquis quavis occasione literas Apostolicas sine Romani Pontificis speciali commissione EXAMINARE VELLE PRAESUMAT; propterea petitionem et supplicationes ipsas, prout merito reiiciendae erant, REIECIMUS ET CORAM NOBIS LACERARI FECIMUS* ». Secnndum haec *poenam excommunicationis* indicit cuivis tantum facinus audenti « *etiam si imperiali, regali, ducali, vel alia praefulgeat dignitate.* »

(12) Iuvat hic locum recitare doctissimi Zaccaria *Dissert.* cui titulns *Rendete a Cesare ecc. Num. VIII.* « Io non voglio qui (non hoc » mihi in praesentia proposui) difendere l'infallibilità del pontificale » gindizio, che a questi santi (Gregorio VII. et Thomae Cantuariensi) » ha decretato gli onori degli altari. Già ognun vede, che questo non » sarebbe piccol disordine, volere, che il Papa sia caduto iu errore ca- » nouizzando uomini, i quali possono dirsi usurpatori di regi diritti, e » però degni di abominazione. *In Ecclesia,* dice s. Tommaso *quodl. IX* » *q. 7. art. 16, non potest esse error damnabilis: sed hic esset error* » *damnabilis, si veneraretur tamquam sanctus, qui fuit peccator,* » *quia aliqui scientes peccata eius crederent hoc* (quelle azioni esser » peccati) *esse falsum, et ita possent ad errorem perduci. Ergo Eccle-*

» *sia in talibus errare non potest*. Ma noi qui prendiamo altra ma-
» niera di argomentare. La Chiesa non solo a' fedeli mette innanzi que-
» sti due Santi per santi; ma dichiara, che tali sono, perchè hanno di-
» fesa l' ecclesiastica libertà. *Salerni*, dicesi nel Martirologio Romano
» a' 25 di maggio, *depositio beati Gregorii Papae VII ecclesiasticae li-*
» *bertatis propugnatoris, et defensoris acerrimi:* e a' 29 di dicembre:
» *Cantuariae in Anglia natalis s. Thomae episcopi et martyris, qui*
» *ob defensionem iustitiae et ecclesiasticae immunitatis impiorum*
» *hominum factione in Basilica sua gladio percussus migravit ad*
» *Christum*. La Chiesa adunque (non dico il solo Papa, percìocchè il
» giudizio del Papa è stato dall' universale Chiesa accettato nel ricever
» la festa, l' uffizio, ed il recato elogio di questi due santi) la Chiesa
» riguardo ad essi, oltre il giudizio di canonizzazione, un altro giudi-
» zio propone ai fedeli, che il difendere l' ecclesiastica libertà, e molto
» più il difenderla col sangue (in que' punti, ne' quali hannola que' due
» santi con ogni studio e vigore sostenuta) è azione santa e degna de-
» gli ecclesiastici onori. Or questo giudizio appartiene a dottrina, e in
» esso non può errare la Chiesa senza che per virtù propongaci il vi-
» zio; nè alcuno, salva la cattolica verità, potrebbe avvisarsi di attri-
» buire alla Chiesa siffatto errore. Sì: è formale eresia affermare, che
» in dottrina di costume la Chiesa sia ad errore sottoposta. Se dunque
» la Chiesa dichiara, che santa cosa è la difesa dell' ecclesiastica libertà
» in que' punti, ne' quali hannola que' due santi con ogni vigore e studio
» sostenuta, sarebbe eretico il dire, che l' ecclesiastica libertà in que'
» punti un' usurpazione sia de' diritti de' sovrani ».

(13) Cf. cap. *Si quando 5 de Rescr.* et *s. Yvonem Carnut.* Ep. 69. Ego vero legi mallem *Can. in memoriam dist. 19.* a Carolo M. exaratum: siquidem pientissimus iste imperator, cum observantiae venerationisque sensa erga Ecclesiam animo penitus imbibisset, in ipso etiam rerum civilium cursu tot tantisque beneficiis auctus a Rege regum fuit, ut a Iosepho II ac deinceps non tantum regum throni nutent ac fatiscant, quantum soliditate et gloria Caroli M. solium stetit.

(14) Fateor cohorruisse me dum haec verba conscriberem. *Matrem ipsam punire!* In lege civili axiomatis instar habetur « *leges ERUBESCUNT correctores patrum filios facere.* » Vecordem plane et inverecundae frontis hominem fuisse necesse est, qui primus Ecclesiam substernere *placito* ausus fuit! Atqui aperte intonuerat Paschalis II vox ad Henricum Angliae regem scribentis: *nec enim decet ut a filio mater in servitutem abducatur (Du Mesnil. L. 47 n. 60).* Gravius quiddam adiiciam atque in memoriam revocabo, *Christi vicarii dignitatem* a *dignitate Christi* discerni non posse, atque adeo Aligherium non libertate poetica, sed iure ipsaque veritatis vi dixisse:

E nel Vicario suo Cristo esser catto.

INDEX

PROOEMIUM AUCTORIS . . . . pag. VII
IURIS ECCLESIASTICI PUBLICI NOTIONES GENERALES. . . . . » 1
LIBER PRIMUS. *De Ecclesiae Christi potestate in se spectata*. . . . . » 2
CAPUT PRIMUM. *De Ecclesiae potestate, quae ex eius natura deducitur* . . . . » 3
SECTIO PRIMA. *De potestate, quae cuilibet societati perfectae vi suae naturae competit* . . . . » ib.
ARTICULUS PRIMUS. *De potestate, quae cuilibet societati perfectae competit in suos* . . . . . . » 5
§. I. *De Potestate legifera* . . . . » 8
§. II. *De Potestate iudiciaria* . . . . » 12
§. III. *De Potestate coactiva* . . . . » 13
APPENDIX . . . . » 17
ARTICULUS SECUNDUS. *De potestate, seu de iuribus societatis perfectae in extraneos* . . . . . . » 18
§. I. *De potestate societatis perfectae in eos, qui tantum* per abstractionem *extranei sunt* . . » ib.
QUAESTIO PRIMA. *De potestate societatis perfectae in eosdem, quatenus secum in statu concordiae sunt* » 19
QUAESTIO SECUNDA. *De statu conflictus* . . . . . » 22
§. II. *De potestate societatis perfectae in eos, qui vel* ex toto, *vel* ex parte *extranei sunt* . . . » 27
SECTIO SECUNDA. *De Ecclesiae natura; an societas perfecta sit, quemque gradum respectu ceterarum habeat*. . . . . » 29
ARTICULUS PRIMUS. *Ecclesia Christi societas est perfecta*. . . . . » 30

ARTICULUS SECUNDUS. *De gradu, quem habet Ecclesia Christi respectu ceterarum societatum* . pag. 45
§. I. *De primatu Ecclesiae, eiusque potestate quoad societates civiles Catholicorum* . . . . . . » 48
§. II. *De Ecclesiae potestate quoad haereticos* . » 69
§. III. *De Ecclesiae potestate quoad infideles.* » 70
CAPUT SECUNDUM. *De Ecclesiae potestate, quatenus publicis conventionibus, sive, ut aiunt,* concordatis *determinatur* . . . . » 71
ARTICULUS PRIMUS. *De notionibus generalibus* . » 72
ARTICULUS SECUNDUS. *De Concordatis rite valideque ineundis* . . . . » 76
ARTICULUS TERTIUS. *De Concordatis interpretandis ac rescindendis* . . . . » 77
APPENDIX. *De Concordatis cum societatibus civilibus haereticorum, aut infidelium* . . . . . . » 79
LIBER SECUNDUS. *De subiecto potestatis ecclesiasticae, seu de personis, in quibus illa iure residet.* . . . . » 81
CAPUT PRIMUM. *De vera Ecclesiae constitutione* » ib.
CAPUT SECUNDUM. *De praecipuis systematis, quae a vera Ecclesiae constitutione aberrarunt* . » 86
§. I. *Exponuntur praedicta systemata* . . . » ib.
§. II. *Praedictorum systematum fundamenta convelluntur* . . . . » 97
CAPUT TERTIUM. *De fontibus iuris ecclesiastici privati, seu iuris canonici proprie dicti* . . » 116
APPENDIX . . . . » 120
DE REGIO PLACET *Dissertatio* . . . . » 155



REIMPRIMATUR

P. Fr. Vincentius M. Gatti O. P.

S. P. A. M.



